Gallettus primicerios notariorum recensens nullum novit antiquiorem Surgentio, cui a Vigilio pontifice a. 544 traditus est liber Aratoris subdiaconi De actibus apostolorum *in scrinio ecclesiae collocandus* [1]: quare non tantum gestorum et chartarum, sed et quorumcumque librorum primicerio demandata cura est. Surgentium autem centum et amplius annis antecessit Laurentius (Galletto ignotus) *primicerius Romanae ecclesiae*, cui Augustinus inscripsit Enchiridion de fide, spe et charitate [2]. Ante Surgentium quoque fuit Bonifatius primicerius notariorum, qui iussu Ioannis I pontificis inquisivit quo die celebrandum esset pascha anni 526, eaque occasione protulit *de archivo Romanae ecclesiae* epistolam Pascasini episcopi Lilybetani missam ad Leonem Magnum a. 444 [3]. Primicerium notariorum ad tantam dignitatem demum pervenisse, ut ei sede vacante una cum archipresbytero et archidiacono cura ecclesiae Romanae gubernandae, saeculo saltem septimo, incumberet, omnes norunt [4]. Quo gradu ad id culmen honoris adscenderit, equidem

[1] Galletti, l. c. p. 20, 21.

[2] Maurini in admonitione ad hunc librum Augustini notant appellationem dignitatis Laurentii in codicibus variare: *primicerius Romanae ecclesiae*, vel *Urbis Romanae*, vel *notariorum Urbis Romae.*

[3] V. epistolam Dionysii Exigui ad Bonifatium primicerium notariorum et Bonum secundicerium editam a Bucherio, De doctrina temp. p. 489 (Migne, Patrol. Lat. LXVII p. 217). Bonus secundicerius a. 526 decennio anterior est Menate, quem omnium primum recensuit Gallettus, l. c. p. 90. De epistola Dionysii cf. Ianus, Hist. cycli Dionysiani p. 105; et Krusch, *Der 84 Jährige Ostercyclus* p. 247. Ipsius Bonifatii primicerii *suggestio ad Ioannem papam de ratione paschali* (a. 526) edita nuper est a Kruschio in *Neues Archiv* IX p. 109 et plenius a Pitra, Anal. novissima I p. 466, ubi Bonifatius errore codicum dicitur *Bonisanctus.* Eius genuinum nomen et tempus liquent ex citata epistola Dionysii.

[4] V. Galletti, l. c. p. 32.

nescio. Saeculo certe quarto et sedente Iulio, qui scrinio primicerium videtur praefecisse, diaconum res ecclesiae vicaria quodammodo potestate gerentem in scrinii quoque regimine primas tenuisse credendum est, eique notarios omnes cum primicerio paruisse.

Illa obscurior quaestio est, utrum notarii idem necne fuerint, atque scriniarii et chartularii sive chartarii. In Ravennatis certe ecclesiae papyris unus idemque notarius et scriniarius dicitur [1]. De notariis, scriniariis, chartariis, chartulariis, Caietanus Marinius docte, ut solet, disputat; rem autem ad liquidum non perducit [2]. Processu temporis eos, qui epistolas pontificum scribebant, dictos esse scriniarios nemo nescit. Qua de re censeo animadvertendum, scrinium et acta pontificum saeculis quarto et quinto fere ad exemplum scrinii et actorum senatus et praefecti urbis certe esse constituta. Actorum senatus hoc tempore insigne documentum praebent gesta promulgationis codicis Theodosiani a. 438 *edita a Flavio Laurentio exceptore senatus amplissimi* [3]; cuius esse epitaphium a me editum [4] *Laurentii scribae senatus* defuncti anno 451 vere vidit Mommsenus [5]. Unus ergo idemque fuit vel eodem tempore *exceptor* et *scriba;* vel prius *exceptor,* postea *scriba.* Vopiscus autem citat *regesta scribarum* [6]. In officio praefecti urbis recensentur hoc ordine: *cura*

[1] Marini, *Papiri* p. 130, 131.

[2] L. c. p. 219, 277.

[3] Gesta pro recipiendo cod. Theod. editionis Haenelianae p. 81*-89*.

[4] *Bull. crist.* 1869 p. 18.

[5] *Neues Archiv* X p. 584.

[6] Hist. Aug. script. in vita Probi c. 2 ed. sec. Peter p. 201: cf. Huebner, De senatus populique Romani actis p. 13; *Bull. crist.* 1874 p. 50.

epistolarum, regerendarius, exceptores [1]. Igitur exceptores, qui gesta notis excipiebant edebantque, videntur olim distincti fuisse a scribis et regerendariis, qui epistolas in regesta referebant. Iuniores, opinor, exceptorum munere functi sunt; iidem matura aetate fuere scribae, regerendarii, scriniarii. Gesta promulgationis codicis Theodosiani *edita a Fl. Laurentio exceptore senatus* conferenda sunt cum *exemplari gestorum de absolutione Miseni*, cui subscriptum est: « *Sixtus notarius sanctae Romanae ecclesiae iussu domini mei beatissimi papae Gelasii ex scrinio edidi die III Idus Martii Flavio Viatore viro clarissimo consule* » (a. 495) [2]. Inde manifestum fit exceptores senatus et notarios ecclesiae Romanae eodem ritu, e suo unumquemque *scrinio, gesta edidisse.*

De ministris *scrinii sancti*, pro suscepti operis proposito, haec satis sunto.

CAPUT IV.

De bibliothecis sacris restitutis et de codicibus ecclesiae Romanae saeculo quarto.

Nunc de bibliothecis sacris post cladem Diocletianam restitutis, quatenus ea res ecclesiam Romanam attingit, dicendum. Constantinus non modo pacem ecclesiae dedit; quidquid fiscus occupaverat, reddidit; sed et ipsius fisci sumptibus basilicas ubique lo-

[1] Notitia dignit. Occid. IV, 27-29 ed. Seek p. 114. De scriniis urbanae praefecturae ad aedem Telluris v. Lanciani in *Bull. arch. com.* 1882 p. 162.

[2] Thiel, Epist. Rom. pont. p. 447.

corum extrui iussit, easque reditibus et omni apparatu supellectilis sacrae effusa largitate dotavit [1]. Certatim cum principe sacras aedes extruere ac ditare aggressi sunt insignes opibus viri et feminae Christi fidem amplexi; praesertim vero antistites et sacerdotes. Magna harum largitatum pars, ut aequum erat, obtigit ecclesiae Romanae. Donationes a Constantino factae basilicis iussu eius aedificatis Romae, in civitatibus Urbi proximis, in Campania, prolixe recensentur in Libro pontificali, vita Silvestri. Quam recensionem sincerissimam esse, et excerptam e peculiari libello de liberalitatibus Constantini Augusti erga basilicas urbanas, suburbanas et maiores ecclesias civitatum provinciae Campaniae, Ludovicus Duchesne demonstravit ea doctrina ac perspicuitate, ut nullus dubitationi locus relictus sit [2]. Sacrorum vero codicum in harum donationum et pretiosae supellectilis censu nulla mentio fit. Neque idcirco dicendum aut nullos codices restitutae in integrum ditataeque ecclesiae Romanae tunc esse donatos; aut eorum in supellectile pretiosa, tanquam rei vilis, rationem habitam haud esse. Capite primo diximus de codicibus *pretiosis* occultatis, quum libri sacri comburerentur, et post quam pax affulsit ab improbis quandoque custodibus dolo malo subtractis. In charta anni 471, quae dicitur Cornutiana, quaeque est antiquissimum superstes exemplar donationis factae ab ipso conditore cuiusdam aedis sacrae, post praedia, supellectilem auream et argenteam, vestes et vela, recensentur libri sacri et liturgici [3]. Ne-

[1] V. Euseb. Vita Constantini, passim; praesertim I, 42; II, 45, 46; cf. *Bull. crist.* 1863 p. 51-53.

[2] Liber pont. I p. CXLIII et seqq.

[3] Bruzza, *Regesto della chiesa di Tivoli* p. 15-17; Duchesne, l. c. p. CCXLVI, CCXLVII.

que ea res singularis exempli est: nam in actis huius modi donationum lapidi quoque incisis diu viguit vetus mos recensendi libros tanquam rem pretiosam. In vitis autem pontificum ea pars donationum, quae respicit codices, brevitatis gratia omissa semper est [1]. Quare silentium Libri pontificalis in vitis Silvestri, Marci et Iulii de codicibus sacris restitutis et de bibliothecis instructis indicio haud est tam necessariae rei curam tunc esse neglectam.

Tritissimae sunt epistolae Constantini ad Eusebium huiusque responsio de quinquaginta exemplaribus sacrorum librorum regio sumptu conficiendis in usum ecclesiae Constantinopolitanae [2]. Quis credat veterem Romam eiusque insignes basilicas et bibliothecam sedis apostolicae, imperante Constantino, diu caruisse libris non modo ad cultum et ad scientiam rerum divinarum necessariis, sed et splendide scriptis *in membranis purpureis auro argentoque uncialibus litteris?*: quibus tamen Hieronymus praeferendas censuit *pauperes schedulas et non tam pulchros codices quam emendatos* [3]. Huius modi *schedas emendatas* publicae quoque lectioni Constantiniana fere aetate in ecclesia Romana adhibitas esse innuit versus 12 elogii Liberii pontificis *(nullis arte dolis sceda fucata malignis)*, quo loco laudantur eius adolescentia et *lectoris innocui aurea vita, officiumque purum legendi,* ut decuit, *scripturas* [4]. Codices Graecos, praesertim psalmorum et novi testamenti, Hieronymum Romae, instante Damaso, contulisse cum Latinis, notius est, quam ut nobis sit fuse prosequendum. In altero e conciliis Romanis, quibus Apol-

[1] Duchesne, l. c. p. CXLVIII.
[2] Euseb. Vita Const. IV, 36, 37.
[3] Hieron. praef. in Iob.
[4] *Bull. crist.* 1883 p. 8, 9.

linaristae a Damaso damnati sunt, prolatus est codex operum Athanasii; utrum e bibliotheca ecclesiae, an hominis privati, non liquet [1]. Ceterum nullus codex exaratus saeculo quarto vel quinto e bibliothecis ecclesiae Romanae ad nos usque pervenit.

Haud sum ignarus viros doctissimos in eam nunc sententiam descendere, originem codicis Graeci Vaticani pervetusti bibliorum sacrorum, quam plerique Alexandrinam putabant, quaerendam esse Romae vel in Italia inferiore [2]. Id illis potissimum persuadet indoles et recensio textus Graeci; qua de re meum non est disputare [3]. Hoc unum significabo, tanti pretii codicem medio aevo non latuisse in angulis bibliothecae sedis apostolicae; sed inclinato iam saeculo XV, quo tempore rariores libri undique conquirebantur, pervenisse in Vaticanam. Vercellonius, quum de ingressu huius codicis in pluteos Vaticanos attente inquisisset, ex indice confecto a Bartholomaeo Platina (cod. Vat. 3947) didicit eum « inter Vaticanos adnumeratum fuisse ab ipsis primordiis hodiernae bibliothecae » a. 1475. Sed utrum ex antiquiore bibliotheca

[1] Hier. in Rufinum II, 20; cf. Merenda, Damasi Opp. Proleg. XXI, 2.

[2] Ceriani, Monum. sacra et profana III p. XXI; Westcott et Hort, *The New Test. in the original Greek*, Cambridge 1881 p. 267; iterum Ceriani in *Rendiconti del Reale Istituto Lombardo 18 Febbr. 1886* p. 212, 213.

[3] Carolus Vercellone, quum in pristina sententia de origine codicis Alexandrina permaneret, quae eo petente scripseram de monogrammate Christi prima manu non semel appicto vindicavit ab obiectis Ceriani v. c. (*Diss. accademiche di vario argomento*, Roma 1864 p. 421-26). Opinionis, ne dicam demonstrationis, meae summa haec erat: monogramma Christi non semel expressum nota cruciformi, nunquam vero decussata Constantiniana, indicio esse aut codicis patriam quaerendam in Oriente vel Aegypto, quibus regionibus monogrammatis cruciformis usus mature praevaluit; aut eius tempus saeculo potius quinto vel exeunti quarto, quam aetati Constantinianae adtribuendum.

pontificia, an aliunde in novam a Xysto IV conditam codex translatus esset, cum Angelo Maio se ignorare fassus est [1]. Nunc excussis indicibus bibliothecae pontificiae Nicolai V, Eugenii IV, Urbani V, Ioannis XXII, Bonifatii VIII, praesertim vero indice locupletissimo, quem Urbanus V Avenione confici iussit, huius Graeci codicis vestigium nullum repertum est in bibliotheca sedis apostolicae toto saeculo XIV et vertente XV ante annum 1475. Id quod manifesto indicio est, codicem neque ante inclinatum saeculum XV invectum esse in bibliothecam Vaticanam, neque tanquam vernaculum domus pontificiae in scriniis eius diu delituisse. Praeterea notae adscriptae marginibus actuum apostolorum, quae indicant pericopas lectionum liturgicarum certis diebus adsignatas, appictaeque videntur manu saeculi fere sexti vel septimi [2], ecclesiae Romanae nulli prorsus usui fuere. Quod si fingamus has notas adscribi coeptas a monachis Graecis Romae degentibus, hac coniectura opinio de origine Romana codicis parum proficiet. In Graecorum enim coenobiis Romae constitutis, quum Byzantini rerum potirentur, liturgicae lectioni adhibebantur libri ritus Constantinopolitani; quem semper retinuere Italo-Graeci omnes sive monachi sive clerici. Denique notissimum est partes codicis, quae perierunt, suppletas esse litteris Graecis minusculis exeunte saeculo XIV vel ineunte XV, a Graeco certe antiquario ante quam liber Romam perveniret; eiusque supplementi palaeographia Graeca videtur Byzantina potius quam Italo-Graeca. Ioseph Cozza, alter e nuperrimis editoribus codicis, nunc vices agens bibliothecarii sedis apostoli-

[1] L. c. p. 408.

[2] V. Fabiani, Prolegomena ad tomum VI Codicis Graeci Vaticani ss. bibliorum editi collatis studiis C. Vercellone, I. Cozza, H. Fabiani, Romae 1881.

cae, cuius ductu totam rem examinavi, opinatur tum supplementa tum litteras evanidas superinducto atramento instauratas deberi Clementi monacho. Huius nomen Κλήμης μοναχός, semel iterumque adscriptum, nemo ante Cozzam notaverat. Qui Clemens monachus, sive Graecus Byzantinus fuerit sive Italo-Graecus, manifeste indicat codicem in nescio quo Graecorum coenobio esse servatum. Itaque notae externae et historicae nullae extant, quae significent hunc celeberrimum *pandectem* Graecum sacrorum bibliorum fuisse vernaculum ecclesiae Romanae.

CAPUT V.

De archivo a Damaso extructo una cum aede Laurentio martyri dedicata ad theatrum Pompeii.

Damasus condidit Romae iuxta theatrum Pompeii aedem Laurentio martyri sacram, cuius operis et dedicationis, praeter testimonia veterum [1] et nomen conditoris loco inditum neque unquam obliteratum, insignia monumenta servant antiquae syllogae epigrammatum urbanorum. In *throno,* id est hemicyclo absidis, saeculo fere octavo legebatur [2]:

[1] Lib. pont. in Damaso ed. Duchesne I p. 213; Gregorius M. Dialog. IV, 32; Hadrianus I epist. ad Carolum Magnum de sacris imaginibus (Concil. ed. Mansi XIII p. 801).

[2] Servavit unus codex Virdunensis (v. Inscr. Christ. II p. 143, 1).

HAEC DAMASVS TIBI CHRISTE DEVS NOVA TECTA DICAVI
LAVRENTI SAEPTVS MARTYRIS AVXILIO

In *introitu* vero *ipsius ecclesiae* prostabat carmen, quod pluries licet editum [1] hoc loco exhiberi et attente perpendi necesse est.

HINC PATER EXCEPTOR LECTOR LEVITA SACERDOS
CREVERAT HINC MERITIS QVONIAM MELIORIBVS ACTIS
HINC MIHI PROVECTO CHRISTVS CVI SVMMA POTESTAS
SEDIS APOSTOLICAE VOLVIT CONCEDERE HONOREM
ARCHIBIS FATEOR VOLVI NOVA CONDERE TECTA
ADDERE PRAETEREA DEXTRA LAEVAQVE COLVMNAS
QVAE DAMASI TENEANT PROPRIVM PER SAECVLA NOMEN

Lectio manifesta versus 5 et eius plana interpretatio variis modis exagitatae sunt et obscuratae; ita ut nemo intellexerit hoc epigrammate fieri mentionem archivi ecclesiae Romanae, eiusque situm indicari longe a Laterano, ubi *scrinium sanctum* inde a Constantiniana aetate constitutum esse omnes praesumunt. Sarazanius aliique pro certo habent aedem Laurentio sacram extitisse multo ante Damasum; eo quod eius pater « *inibi fuerit clericus*, *diaconus, sacerdos* » [2]: tanquam fieri saeculo quarto potuerit, ut eius-

[1] Servarunt codices Vat. Palat. 833 (unde Gruterus 1164, 11, aliique plurimi); et Virdunensis f. 212, de quo Inscr. Christ. I p. IX*, X* (v. Inscr. Christ. II p. 135, 7; 151, 23).

[2] Sarazan. Damasi opp. ad carm. XVIII ed. Rom. p. 86. In codice Virdunensi legitur *puer* pro *pater;* quae lectio egregie convenit iis, quae sequuntur

dem aedis et tituli urbani aliquis fuerit primo diaconus, deinde sacerdos (presbyter). Praeterea vocabulum *archivis* Sarazanius sumit pro *novo templo* a Damaso *exaedificato;* eademque interpretatio renovata nuper est [1]. Merenda mutavit *archibis* in *arcubus his;* nulla prorsus de causa, neque sensu concinno [2]. *Archibum* (archivum) vox est, cuius obvia significatio in iure civili et canonico notissima et sollemnis erat; neque eo vocabulo scriptores Christiani Damasi aequales et eius aetati proximi usi sunt designandis aedibus sacris [3]. Praeterea carmen incipit: *Hinc pater exceptor, lector:* porro consentaneum esse, ut *exceptor lector* ex archivis ad maiores honores promotus credatur, persuadent ea, quae supra exposui de lectoribus et exceptoribus. Itaque adverbium *hinc* non refertur ad aedem sacram Laurentio martyri, quam ante Damasum extitisse nullo argumento probatur, sed ad *archiva.* Inde Damasi pater, functus munere exceptoris ex ordine lectorum, prodiit *levita* (neque *archivi* fortasse curam diaconus deseruit), denique *sacerdos.* Par et ipsi Damaso cursus honorum, opinor, fuit. Laconica enim brevitate Damasus dicit: *hinc mihi provecto,* nempe ut intelligamus *hinc* (ex *archivis*) eum ad instar patris exceptorem, lectorem, diaconum ad sacerdotium, immo ad sedem apostolicam, esse *provectum.* Constat autem Damasum a puero adlectum esse inter lectores eccle-

exceptor lector; neque enim rara est in antiquis monumentis scriptisque mentio *puerorum exceptorum et lectorum.* Qua lectione recepta, initium carminis interpretandum esset de ipso Damaso, minime vero de patre eius. Obstat autem versus 2: quare non *puer,* sed *pater* legendum.

[1] Rade, *Damasus Bischof von Rom* p. 158.

[2] Merenda, Damasi opp. ed. Rom. p. 245.

[3] V. De Vit, Lexicon tot. Latin. v. *Archium, Archivum;* Du Cange, Gloss. med. Latin. v. *Archivum.*

siae Romanae [1]. Neque diffiteor vocabulum *provecto* intelligi posse de aetate: totus tamen contextus et versus sibi mutuo respondentes *Hinc pater exceptor, Hinc mihi provecto* meae videntur interpretationi favere. Quae si vera est, eodem loco, quo Damasus *condidit nova tecta archivis*, ea iam extiterunt inde fere ab adolescentia patris eius, id est ante saeculum quartum. Sin minus, cogitandum erit cum Ludovico Duchesne de domo paterna Damasi ab eo archivis destinata [2]. Haec autem interpretatio duplici ex capite videtur sensui epigrammatis parum accommodata; tum quod dissolvat nexum veri simillimum inter prima carminis verba *(Hinc pater exceptor)* et *nova tecta condita archivis;* tum quod Damasum inducat dicentem, patrem et se ipsum e domo privata (*hinc*) per gradus promotos esse ad sacerdotium et summos in ecclesia honores. Quae dicendi ratio aptius convenit in locum iuris ecclesiae, ubi iuniores in clerum adlecti prima sacrae militiae munia obierint, quam in domum privatam. Igitur, ut concludamus, valde probabile est archivum ante Damasum, ante *scrinium sanctum* a Iulio ordinatum, ante pacem quoque Constantinianam eodem extitisse loco, quo illud extructis porticibus et basilica Laurentio martyri dedicata Damasus voluit splendide collocare. Ipsius autem Damasi aperto testimonio certum est *nova tecta* ab eo *condita, additis dextra laevaque* porticibus, destinata esse *archivis:* quae idcirco, exeunte saeculo quarto, nondum erant in Lateranis aedibus stabilita.

Damasiani carminis interpretatio et archivi ab eo conditi situs ac dispositio forma et descriptione antiquae aedis s. Laurentii egregie

[1] V. Acta martyrii Petri et Marcellini de quibus Mazochi, Kal. Neap. p. 494; *Bull. crist.* 1881 p. 48, 49.

[2] Duchesne, l. c. p. 213, 214.

illustrantur. Quae de hoc argumento prorsus nova nunc proferentur collecta ex actis tabularii ipsius basilicae, a Davide Farabulinio v. c. mihi petenti comiter sunt communicata. Vetus basilica ad annum usque 1486, quo Raphael Riarius coepit aedificare novas aedes, stetit ad viam, quae appellatur *del Pellegrino*, fronte obversa ad ortum solis. Ante frontem extructa erat singulari exemplo porticus duplex: interiorem aulam suffultam columnis binae utrinque alae cingebant. Sed aula, quam dicimus transversam et in quam alae laterum exibant, sita haud erat ante absidem, quemadmodum in ceteris basilicis, praesertim maioribus; verum post eam, ita ut esset tanquam ultima porticus postica, et totam undequaque aedem mediam extremae porticus cingerent ac complecterentur. Singularem aedis formam illustrat epigramma Damasianum, cui vicissim ea forma collata cum aedificiis bibliothecarum veterum lucem impertit. Eo enim carmine, quod *in introitu ecclesiae,* id est fronte primae porticus exterioris prostabat, tacito nomine Laurentii martyris, cui aedes interior dedicata erat, expressa mentio fit archivi et columnarum, scilicet porticuum, quae *additae* erant dextrorsum ac sinistrorsum *Damasi nomen per saecula* servaturae. Hae igitur porticus per se quodam modo constabant, neque erant pars tantum aedis Laurentio martyri dedicatae. Nunc cum Damasiano carmine conferantur quae de bibliothecarum veterum forma et dispositione nuperrime exposuit Alexander Conze v. c., referens de exploratione celeberrimi templi Minervae Poliadis et bibliothecae Pergamenae, quae ceterarum in orbe Romano typus et exemplar fuit [1]. Ut uno verbo

[1] *Die Pergamenische Bibliothek* in *Sitzungsberichte d. K. Pr. Akad. d. W. Phil. hist. Cl.* 18 Dec. 1884.

dicam, templum erat in medio, porticus ante et post templum bibliothecas continebant; libros armariis inclusos custodiebant cellae applicitae imis parietibus porticuum, quemadmodum eae, quas exhibet delineatio horreorum in vetere forma Urbis Romae [1]. His consideratis intelligitur Laurentio martyri tanquam templum consecratam esse a Damaso aulam mediam interiorem, in cuius abside legebatur titulus martyri dedicatus, et ad quam pertinebant singulae utrinque alae et porticus interior ante frontem: propylaeum vero exterius, cui inscriptum erat carmen de *archivis* et *columnis additis dextra laevaque*, cum porticibus extremis utroque latere et postico, pertinuisse ad bibliothecas et scrinia ecclesiae Romanae Damasi curis opere magnifico disposita et ordinata. Cuius aedificii partes olim distinctae, lapsu deinde temporis et archivo translato ad Lateranum, videntur in unum coaluisse.

Tam amplae aedes, unde nominis perpetuitatem sibi Damasus augurabatur, ad exemplum bibliothecarum insignium destinatae *archivis*, indicio sunt *scrinium sanctum* sedis apostolicae eo loco debuisse custodiri et ordinari. Ibi certe recondita sunt acta concilii a Damaso Romae celebrati anno 369, cui adnotatum expresse erat: *similiter et alii* CXLVI *orientales episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodie in archivis Romanae ecclesiae tenetur* [2]. Cuius adnotationis auctoritatem confirmat Basilius Damasi aequalis, qui de iisdem illis episcopis scripsit: ἐν τῇ Ῥώμῃ ἔγγραφος αὐτῶν ὁμολογία τῆς ἐν Νικαίᾳ πίστεως ἀπόκειται [3]. Hieronymus, qui Damasum

[1] Iordan, Forma Urbis tab. XI, 51.

[2] Holstenii, Collect. Rom. I p. 177; Coustant, l. c. p. 500: cf. Bethmann in Pertz, *Archiv* XII p. 201.

[3] Basilii ep. 82.

« *in chartis ecclesiasticis iuvit et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus respondit* » [1], archivum sibi bene notum a Damaso curatum appellavit *chartarium ecclesiae Romanae;* unde cuilibet *requirenti* epistolae pontificum statim exhibebantur [2]. Haec ab eo scripta longe ab Urbe respiciunt quidem epistolam Anastasii I (a. 400-401), sed referri debent ad notitiam illius *chartarii* haustam Romae, quum *chartas ecclesiasticas* tractaret et esset Damaso ab epistolis. Quare *regesta,* quae dicimus, pontificum Romanorum, in quibus epistolae et acta quaecunque requirerentur facillime possent reperiri, ab aetate saltem Damasi videntur extitisse. Sane in synodo Romana a. 531 prolatae sunt epistolae Damasi, quarum Bonifatius II iussit *fidem in sedis apostolicae scrinio requiri* [3]; easdem epistolas multo ante respexere Bonifatius I (a. 419) et Innocentius I (a. 412) ad *scrinii monimenta et instructionem chartarum archivorum* appellantes *in causa* potestatis vicariae a sede apostolica collatae episcopo Thessalonicensi [4]. Denique non est praetereundum a Siricio successore Damasi incipere seriem genuinam *decretalium,* quas Dionysius Exiguus Romae collegit, quaeque receptae sunt in antiquiores codices canonum. Successorum vero Siricii, id est Anastasii, Innocentii, Zosimi, Caelestini, regesta absque dubio extitisse sequenti capite exponam [5]. Itaque Damasi curis erga archiva effectum esse,

[1] Epist. 130, 10.

[2] Apol. adversus Rufinum II, 20; Opp. ed. Vallarsi II p. 549.

[3] Holstenius, l. c. p. 37, et seqq.

[4] Holsten. l. c. p. 50, 51; Coustant, l. c. p. 817, 1019.

[5] In vita Siricii (Lib. pont. ed. Duchesne I p. 216) legitur eum *fecisse constitutum de omnem ecclesiam,* servandum *in omnem ecclesiae archibo;* id est in omnium ecclesiarum archivis, non in archivo ecclesiae Romanae, quemadmodum

ut epistolae pontificum diligentius ordinari et in acta referri coeptae sint, haud inanis coniectura est.

CAPUT VI.

De scrinio et bibliotheca sedis apostolicae et de regestis epistolarum pontificum saeculis quinto et sexto.

Quod Hieronymus appellavit *chartarium ecclesiae Romanae,* sollemniore vocabulo inde a saeculo saltem quinto dici consuevit *scrinium* vel *scrinia sedis apostolicae.* Hoc vocabulo usi sunt Bonifatius I, Caelestinus I, Leo Magnus aliique passim. De loco vero, quo scrinium hoc saeculo situm erat, neque mentionem neque indicium comperi: quo tempore *archiva* ab aede Damasiana ad Lateranensem translata sint, fateor me ignorare. Mature id factum opinor, quum multiplex et assidua negotiorum ecclesiae tractatio exigeret, ut *chartae ecclesiasticae* semper in promptu essent pontifici et eius administris in patriarchio Lateranensi.

Scrinii appellatio inde orta est, quod documenta sanctiora quorumcunque iurium includi solerent scriniis, id est cistis custodiae causa obseratis. Rem ob oculos perspicue ponit statua prostans Romae in scala aedium ducis Poli ad Trivium: exhibet enim magistratum, saeculi fere tertii vel quarti, ad cuius pedes sculpta est cista obserata inscriptis litteris: CORPORIS MVNIMENTA. Quae

hunc locum intellexit Mabillonius, De re diplom. I, 2, 8. Quare nulla causa est cur suspicemur archivum et regesta sedis apostolicae a Siricio esse constituta.

formula quid significet, ut statim intelligatur, supra cistam efficta sunt quattuor volumina convoluta praeferentia titulum: CONSTITVTIONES [1]. Hae nempe litterae (nondum recte declaratae) pertinent ad statuam dedicatam patrono nescio cuius *corporis* artificum. *Constitutiones* principum, quibus *corporis* iura sancita erant [2], dicuntur eius *munimenta*. Quod vocabulum iam supra in Libro pontificali, vita Iulii, ubi de *scrinio sancto* sermo est, a me restitutum et eius simile *munimina* toto medio aevo usitatissima [3], in scrinio ecclesiae Romanae sollemnia fuere et cum genuina scrinii sive cistae notione diu coniuncta. In formulis enim Libri diurni pontifex iubet *fundorum* (iuris ecclesiae Romanae) *monimina in nostro scrinio contradi scriniariis* [4]; sera denique aetate, medio saeculo XIV (a. 1341), *archa seu capsa sigillata tribus sigillis et clavibus tribus clausa*..., continens *nonnulla privilegia et munimenta ecclesiam Romanam concernentia*, Tarvisium nescio quo modo pervenerat et a Benedicto XII repetita est [5].

Epistolae pontificum et acta cuncta ad regimen et negotia ecclesiae universae pertinentia in scrinio sedis apostolicae ita *regerebantur*, ut in annales essent disposita, et eiusdem negotii gesta ac documenta uno tenore alligata reconderentur. Caietanus Cenni

[1] Spon, Misc. erud. antiq. p. 216, 3; Matz, von Duhn, *Antike Bildwerke in Rom* II p. 364, 365.

[2] Cf. regesta *constitutionum* et rescriptorum, quae collegium Paeanistarum lapidi incidenda curavit, C. I. L. VI n 3770.

[3] V. Marini, *Papiri* p. 292; Pertz, *Archiv* V p. 30 (*munimenta ecclesiae Toletanae*); Reg. Farfense ed. Balzani et Giorgi II p. 222; Bruzza, *Regesto Tiburtino* p. 32, 38, 42, 48, 58, 65.

[4] Liber diurnus form. XXXIII, ed. de Rozière p. 61.

[5] Theiner, Cod. diplom. domin. temp. II n. 122, p. 102.

in opere nondum edito, cui titulus « *Canon seu codex canonum ecclesiae Romanae* », quod reperi autographum in exigua bibliotheca ludi litterarii municipalis oppidi s. Marcelli dioecesis Pistoriensis, de archivo sedis apostolicae scripsit (f. 49): « *Duas in partes percommode illud divisum esse comperio; quarum altera spiritualem universae ecclesiae administrationem distinctis cum dioeceseon seu tractuum singulorum nominibus prae suis quorumvis pluteis, ut quaerenti praesto esset quidquid ferret occasio; altera vero documenta omnia donationum seu patrimoniorum et quaecumque ad ea pertinebant, quae infinitum esset enumerare, tam multiplex praeceptorum, privilegiorum aliarumque chartarum genus occurrit in pontificiis litteris, quibus de eorum administratione agitur* ». Sed gesta regiminis ecclesiae universae geographice distributa esse nullo indicio probabile fit: immo aperte contradicit Bonifatius II in causa Stephani episcopi Larissensis sic interloquutus: *quae lecta sunt ecclesiasticis indantur annalibus* [1]. Ea ergo documenta non scrinio *dioeceseos* Illyrici, sed *annalibus indenda* erant et alliganda [2]. Neque secus, opinor, iudicabit, qui excussis antiquioribus codicibus canonum documenta plurima et egregia saeculorum praesertim quinti et sexti e scriniis sedis apostolicae manifeste deprompta, quo ordine manipulatim inde extracta sint,

[1] Holsten. l. c. p. 28: Concil. ed. Mansi VIII p. 739: in iisdem actis Bonifatius II haec iubet: « *Et libelli oblati recitatio et prosecutio fratris et coepiscopi nostri Abundantii gestis indatur* » (Holsten. l. c. p. 19, 20).

[2] Anno 525, quum de futuro paschate insequentis anni dubitaretur, eademque quaestio antea incidisset in annum 444, statim *ex archivo* data est Dionysio Exiguo epistola Paschasini Lilybetani ad Leonem Magnum: quae si in scrinio Siciliae, potius quam in regestis annalibus, sita fuisset, tam facile reperiri haud potuisset (vide supra pag. XXXI).

inquiret [1]. In regestis quoque epistolarum Gregorii Magni, quorum longe maxima pars videbatur ad nos pervenisse, multiplices allegationes documentorum omnis generis archetypis voluminibus insertas ab editoribus inde ab aetate Hadriani I suppressas esse I. B. Pitra v. em. luculenter demonstravit, easque quatenus fieri nunc potest restituere aggressus est [2].

Epistolae pontificum in regestis annalibus ordinatae erant et distinctae nota numeri singulis appicta; quarum notarum vestigia in antiquis codicibus canonum Fridericus Maassen agnovit haesisse epistolis Innocentii I (a. 402-417) [3]. Igitur iam tum regesta epistolarum pontificum certo ordine confici coepta erant et in *tomos* annales ita referri, ut quum requirerentur possent facillime reperiri. Inde lucem accipiunt tritissima verba Hieronymi ad Rufinum initio huius capitis commemorata, quae respiciunt epistolam Anastasii I (a. 400-401): « *Si a me fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanae ecclesiae chartario non requiris?* » (Apol. adv. Rufinum II, 20). Haec interrogatio collata cum vestigiis atque indiciis, quae nunc persequimur, regestorum ineuntis saeculi quinti significat ipso anno eius saeculi primo et pontificatu Anastasii ea regesta iam extitisse. Anastasio et Innocentio successit Zosimus (a. 417–418), cuius et Caelestini quoque I (a. 422–32) regesto-

[1] V. Maassen, Bibl. iuris canonici (in *Sitzungsberichte der phil. hist. Cl. d. K. Acad. d. W.*, Wien LIII p. 373 et seqq., LIV p. 157 et seqq.; LVI p 157 et seqq.); eiusdem, *Ueber eine Sammlung Gregor's I von Schreiben und Verordnungen der Kaiser und Päpste* in actis cit. acad. Vindobonensis LXXV p. 227 et seqq.; eiusdem, *Geschichte der Quellen und der Literatur des canon. Rechts im Abendlande*, Gratz 1871.

[2] Pitra, Anal. novissima I p. 51-63.

[3] In actis Vindob. citatis LXXV p. 240, 241.

rum indicia certissima sagaci doctrina nuperrime detexit et exposuit H. Bresslau [1]. Nempe epistolae, quae pluribus eodem exemplo scribebantur, in regesta tum Augustorum tum pontificum ita referebantur, ut earum textus semel perscriberetur, praefigerentur vero coniunctim nomina eorum, quorum singulis paria exempla missa essent; id quod notari consuevit formula *a pari*. Quae formula, indicium manifestum apographi sumpti e regestis, legitur in duabus epistolis Zosimi [2]; in quibus deest subscriptio in regestis semper omissa. Caelestini vero epistola de haeresi Nestorii, quam latine e regestis descriptam habemus tanquam directam pluribus *per Orientem episcopis a pari*, extat in actis concilii Ephesini in Graecum versa ex authentico exemplo, quod directum erat Ioanni episcopo Antiochiae, neque subscriptio in Graeco omissa est [3]. In Leonis quoque Magni epistolis formula *a pari* semel occurrit [4]. Quare regesta pontificia duobus saltem saeculis antiquiora sunt Gregorio Magno, a quo ea primum ordinata esse plerique censuerunt [5], ante quam prodiisset codex canonum Britannicus refertus epistolis Gelasii I et Pelagii I e regestis eorum manifeste depromptis [6]. Gelasii *regestum* citavit quoque Deusdedit, Coll. can. II, 40. Nunc a pontificatu Gelasii et ab exeunte saeculo quinto (a. 492–96) adscendimus

[1] *Zeitschrift des Savigny-Stiftung für Rectsgeschichte - Röm. Abtheil.* VI (1885) p. 242-260.

[2] Coustant, l. c. p. 955, 959.

[3] Concil. ed. Mansi IV p. 1047.

[4] S. Leonis opp. ed. Ballerin. I p. 1311; Concil. l. c. VI p. 315.

[5] Vide P. Ewald in *Neues Archiv* III p. 437.

[6] L. c. V p. 505 et seqq.; vide praesertim p. 526, 563: epistolas Gelasii et Pelagii I e codice Britannico nuper edidit Lövenfeld, Epist. Rom. pont. ineditae, Lipsiae 1885.

ad Zosimum, Innocentium, immo et ad Anastasium, id est ad eiusdem saeculi initia. Neque ulla ratio suadet, ut consistamus in brevissimo pontificatu Anastasii et ipso anno 400; immo multa nos invitant, ut ulterius adscendamus ad Siricium et Damasum, secundum ea quae supra exposui. Igitur constat in more positum iam fuisse initio saeculi quinti, ut epistolae pontificum in *chartario* sive scrinio ecclesiae Romanae a notariis scribis ordinate regererentur; quemadmodum rescripta Augustorum in commentariis et tabulario Caesaris; acta senatus in commentariis et *gestis* eius [1]; acta urbanae praefecturae in scriniis *Tellurensis secretarii* [2].

Hoc loco praetereunda silentio non sunt monumenta historica vere insignia pertinentia ad pontificatum Leonis Magni et concilium Chalcedonense; ad gesta anno 530 de schismate Dioscori adversus Bonifatium II; ad controversiam *de uno ex Trinitate passo* definitam a Ioanne II a. 534, servata in codice codicum Novariensi, quorum notitiam debemus Amellio v. c. [3]. Ea sagax editor

[1] V. Pick, De senatusconsultis Romanorum, Berolini 1884. In epistola consulum anni ab Urbe condita 681 nuper reperta Athenis graece et latine citatur: *rerum* (a senatu) *consultarum tabula prima, cera quarta decima* ('Εφήμ. ἀρχ. 1886 p. 100; Mommsen in Hermes XX p. 273). Morcellus ceras primam, secundam et deinceps censuit fuisse, non paginas, sed eiusdem paginae vel tabulae eas, quas quidam mendose dicunt *columnas* (De stilo iscr. ed. Rom. p. 467; *Diss. dello scrivere degli antichi Romani* p. 61). Cuius significationis quum certa veterum scriptorum auctoritas desideraretur (v. De Vit. Lex. tot. Latin. v. *cera*), ecce eam in monumento antiquissimo. Saeculo vero post Christum quinto non tabulae ceratae, sed chartae plerunque adhibebantur.

[2] V. Lanciani in *Bull. arch. com.* 1882 p. 61, 162: de similitudine scrinii pontificii cum scrinio Augustorum cf. Pitra, l. c. p. 68.

[3] Amelli, *S. Leone Magno e l'Oriente* in *Diss. lette nell'accad. di religione cattolica* a. 1882-85; eiusdem, *Documenti inediti relativi al pontificato di Felice IV e di Bonifacio II* in *Scuola catt. di Milano* XXI (1883) *quad.* 122; Duchesne

agnovit descripta esse ex actis authenticis et ipsis chirographis reconditis in scrinio sedis apostolicae ante annum 535, quo alterum e chirographis in codice Novariensi servatis iussu Agapeti pontificis scrinio exemptum et coram omnibus *incendio consumptum est.* Eius codicis canonum auctor Amellio videtur Dionysius Exiguus, qui in bibliotheca et scrinio ecclesiae Romanae diu versatus primus inde protulit epistolas *decretales* pontificum; multa graece scripta latinitate donavit, alia vice versa e Latino in Graecum transtulit. His Dionysii curis videri posset adtribuendum id quod Anastasius bibliothecarius notat, nonnullas epistolas pontificum latine editas servatas esse graece, et deinde e Graeco in Latinum restitutas [1], nisi intellectum a Maasseno esset hanc animadversionem, quod spectat ad tempora antiquiora saeculo septimo, circumscribendam esse ad unam tantum epistolam Felicis III contra Petrum Fullonem, eamque supposititiam [2].

Cennius pro certo sumit archivum sedis apostolicae bifariam divisum esse; ita ut in eius altera parte reconderentur acta donationum, inferrenturque rationes accepti et expensi, et quidquid ad administrationem patrimoniorum atque redituum ecclesiae pertineret. Quae mera quidem coniectura est, valde tamen probabilis.

in *Mélanges* etc. *de l'école Fr. de Rome* 1883 p. 245 et seqq.; Ewald in *Neues Archiv* X p. 412 et seqq.: Mommsen eodem loco p. 581 et seqq. et tomo XI p. 363 et seqq.

[1] *Notandum, quod nonnulla, quae latine fuerunt edita, latinitas funditus mole oblivionis obruta deplorasset, nisi ex Graecorum post fonte librorum haec hausta sitibundo pectore resumpsisset, sicut epistolam beati papae Felicis in Petrum sententiam proferentem Antiochenum damnationis,* Anastasii bibl. Collectaneorum praef. ed. Sirmondi (Opp. ed. Ven. I p. 294).

[2] V. Maassen in actis minoribus acad. Vindob. LXXXV p. 243, 244.

Gelasius enim ordinavit polyptychum rationum ecclesiae Romanae, postea a Gregorio Magno renovatum, cuius supra memini capite secundo [1]. Patrimonia vero, alia administrabantur nomine sedis apostolicae a singulis rectoribus; qui post praestitam cautionem accipiebant *a scrinio breve patrimonii*, descriptionem nempe praediorum, quorum eis erat commissa administratio [2]. Alia singulis basilicis et titulis (aedibus sacris urbanis) erant adtributa, et ab eorum praepositis, presbyteris, actoribus administranda; quae si a iure ecclesiae Romanae transferenda essent ad ius peculiare alicuius basilicae vel tituli, *delebantur de brevibus* scrinii sedis apostolicae, ut unius alteriusve basilicae sive tituli *rationibus addicerentur* [3]. Sane chirographum Agapeti papae, qui causa legationis ad imperatorem a regiis arcariis pecuniam *facto pittacio solemniter acceperat* et vasa sacra basilicae Petri apostoli pignori obligarat, Theodahatus rex (a. 536) reddi iussit non scriniariis sedis apostolicae, sed *actoribus sancti Petri Apostoli* [4]. Quae quum ita administrata esse constet, *polyptychum* (generale) ecclesiae Romanae, *brevia* singulorum patrimoniorum, cautiones rectorum, rationes ab iis

[1] De polyptychis, id est libris censualibus ecclesiarum, v. Mabillon, De re diplom. I, 2, 9.

[2] Deusdedit, Coll. canonum III, 111 ed. Martinucci p. 291; cf. Zaccaria, Diss. de rebus ad hist. eccl. pertinentibus I p. 68 et seqq.; *Bull. di arch. crist.* 1870 p. 103.

[3] V. Gregorii Magni donationem basilicae Pauli apostoli in libris regestorum eius XIV, 14 (Opp. ed. Maurin. IV p. 330) et in lapide etiam nunc integerrimo (Margarini, Inscr. basil. s. Pauli n. 245; Mai, Script. vet. V p. 212, 213; Pitra, Analecta novissima I p. 466-468); et donationem Sergii I titulo s. Susannae, cuius dissita fragmenta composui in *Bull. crist.* l. c. p. 92 et seqq.

[4] Cassiodorii, Var. XII, 20.

redditas oportet constituisse tanquam peculiare tabularium in proprio fortasse conclavi situm intra archivum sedis apostolicae; certe distinctum ab *annalibus,* in quae *regerebantur* epistolae et *alligabantur* gesta negotiorum ecclesiae universae; itemque distinctum a tabulariis rationum basilicae Vaticanae aliarumque aedium sacrarum. Huic parti archivi et eius notariis sive scriniariis aliquid commune fuit cum vestiario et eius ministris; quippe quibus ex sagaci coniectura Ludovici Duchesne debeantur praeclara et sincerissima documenta donationum, census praediorum et redituum, descriptiones supellectilis sacrae et pretiosae inserta Libro pontificali [1]. Antiquior e vestarariis a Galletto recensitis fuit *notarius regionarius et prior vestiarii* [2]. Locationes vero praediorum, chirographa pensionum solutarum aliaque eiusdem generis in regesta annalia relata esse colligitur ex excerptis, quae inde facta sunt a Deusdedit saeculo XI (Coll. can. III, 101, 149).

Praeterea Cennius opinatur scrinio coniunctam vel adnexam fuisse bibliothecam, quam ad exemplum celeberrimi decreti *de libris recipiendis et non recipiendis* vulgo Gelasio adtributi [3] coniicit fuisse divisam in septem classes, videlicet: I *Sacra Biblia;* II *Concilia;* III *Sanctorum patrum opera;* IV *Decretales epistolae;* V *Acta martyrum et chronica et codices alii caute legendi;* VI *Libri apocryphi;* VII *Scripta haereticorum.* In scrinio sedis apostolicae vere extite-

[1] Duchesne, Lib. pont. I p. CXLIV, CLIV.

[2] Galletti, *Del vestarario* p. 25.

[3] V. Thiel, Epist. Rom. pont. a s. Hilaro ad Pelagium II p. 44 et seqq. 454 et seqq. Cf. Fontanini, De antiq. Hortae II cap. 3. Praeclarum codicem saeculi septimi exeuntis, in quo hoc decretum Gelasio adtribuitur, descripsit Leopoldus Delisle in *Revue arch.* Mai 1881 p. 259.

runt libri numero plurimi, delectu et raritate eximii, argumentis varii; praesertim opera patrum, scripta quoque haereticorum de theologia et doctrina Christiana. Eorum propemodo indicem exhibent acta concilii Romani a. 649, quem capite octavo proferemus; neque index multo antiquior *librorum recipiendorum et non recipiendorum* Gelasio adscriptus a recensione codicum eius scrinii totus alienus dicendus est. Praeterea nexum bibliothecae librorum de re theologica cum archivo confirmat auctor vitae Gelasii in Libro pontificali scribens: *fecit duos libros adversus Nestorium et Eutychem, qui hodie in bibliothecae ecclesiae archivo reconditi tenentur* [1]. Sed ne Cennio assentiamur *archivum bibliothecae*, id est eam archivi partem, quae peculiari nomine et usu bibliotheca dicebatur, distributum fuisse in septem classes Gelasianas, ea quae censita est quarta et complectitur *Decretales epistolas*, magnopere obstat. *Decretales* enim ab epistolis relatis in regesta pontificia distingui et secerni minime debent [2]; quae regesta cum allegatis actis documentisque omnis generis annaliter redacta praecipuum scrinii apostolici fundamentum et longe maxima eius pars erant, non altera tantum e classibus bibliothecae. Igitur, tametsi certum est *archivum* cum *bibliotheca* sedis apostolicae hoc tempore coaluisse, qua ratione alterum cum altera coniunctum sit, ignoramus. Quae vero fuerit codicum distributio, armariorum dispositio, coniectura sumpta ex ordine et apparatu, quo veteres eiusdem aetatis bibliotecae Christianae, praesertim Urbis Romae, instructae erant, assequemur.

[1] Lib. pont. ed. Duchesne I p. 255.

[2] Id dico de scrinio, non de codicibus canonum; in quibus nonnunquam *decretales* a *regestis* distinguuntur (v. Deusdedit II, 40).

CAPUT VII.

De bibliothecis sacris Urbis Romae earumque apparatu et indicibus saeculis praesertim quinto et sexto.

Quicunque scripserunt de bibliotheca sedis apostolicae usi sunt textu vulgo recepto Libri pontificalis de duabus bibliothecis ab Hilaro pontifice factis *in baptisterio Lateranensi*. Sed eius libri editione critica nunc docemur bibliothecas Hilari transferendas esse a Laterano ad monasterium et *praetorium* cohaerentia basilicae suburbanae s. Laurentii via Tiburtina [1]. Quare nihil commune fuit his bibliothecis peculiaribus cum maiore bibliotheca coniuncta scrinio sedis apostolicae in Laterano.

Altera bibliotheca instituta Romae est saeculo sexto, cura Agapeti pontificis, suasore Cassiodorio praefecto praetorii, quae prorsus distincta et longe dissita erat ab archivo et bibliotheca Lateranensi. Cassiodorius, ante quam abdicatis dignitatibus sese in monasterium Vivariense reciperet, voluit *cum beatissimo Agapito papa Urbis Romae . . . collatis expensis in urbe Romana professos doctores scholae Christianae* instituere, qui sacros libros *per expositiones patrum* publice interpretarentur [2]. Bellici tumultus et propera pontificis mors impedimento fuere, ne Cassiodorii desiderium impleretur [3]. Sed Agapetum coepisse exequi propositum, condita bibliotheca et dispositis *ordine longo codicibus sanctorum divinae legis*

[1] Lib. pont. in Hilaro ed. Duchesne I p. 245, 247.

[2] Cassiodorii, De instit. divin. litt. praef. Opp. ed. Garet II p. 537.

[3] Cassiod. l. c.

mystica dicta docentium, testatur sequens epigramma, visum et descriptum ab auctore syllogae epigraphicae Einsidlensis « *in bibliotheca s. Gregorii, quae est in monasterio Clitauri* (clivi Scauri), *ubi ipse* (libros) *dialogorum scripsit* » [1]:

SANCTORVM VENERANDA COHORS SEDET ORDINE *longo* [2]
DIVINAE LEGIS MYSTICA DICTA DOCENS
HOS INTER RESIDENS AGAPETVS IVRE SACERDOS
CODICIBVS PVLCHRVM CONDIDIT ARTE LOCVM
GRATIA PAR CVNCTIS SANCTVS LABOR OMNIBVS VNVS
DISSONA VERBA QVIDEM SED TAMEN VNA FIDES

Neque Muratorius [3] neque Blasius [4] neque alii intellexerunt quis fuerit hic *Agapetus iure sacerdos;* Ferdinandus vero Piper collatis verbis Cassiodorii et similium carminum formularumque exemplis demonstravit, bibliothecam hoc epigrammate ornatam conditam esse ab Agapeto pontifice Romano a. 535-536 [5], eodem loco, quo postea a Gregorio Magno coenobium constitutum est s. Andreae ad clivum Scauri. Quomodo Agapeti et Gregorii Magni bibliothecae coaluerint, vel Gregorii nomen in locum nominis Agapeti substitutum sit, declarabo. Agapetus fuit filius Gordiani et clericus tituli

[1] Urlichs, Cod. Topogr. urbis Romae p. 65.

[2] Finem versus, qui in codice deficit, supplevit Marinius ap. Mai, Script. vet. V p. 181, 2.

[3] Thes. inscr. p. 1822, 6.

[4] In Odericii Diss. p. 301.

[5] *Zur Geschichte der Kirchenväter aus epigraphischen Quellen in Zeitschrift für Kircheng.* Gotha 1876 p. 256-59.

Ioannis et Pauli ad clivum Scauri [1]; Gregorius filius alterius Gordiani [2] in domo paterna, clivo Scauri, coenobium instituit. Ambo eodem genere nati eandem domum incoluerunt: Agapetus in paternis aedibus, media Urbe, sacrarum litterarum studiosis bibliothecam paravit; hac Gregorius usus est, ea demum est monasterio inclusa.

Sanctorum veneranda cohors sedens ordine longo, quos inter et Agapetus conditor bibliothecae *residebat,* interpretanda certe est de imaginibus patrum, quorum *codices, pulchro loco arte condito*, eodemque atque pictae imagines ordine in armariis erant dispositi. Sic Isidorus Hispalensis bibliothecam ordinavit distributam in classes: quarum singulis adtributa erant armaria ornata imaginibus auctorum et epigrammatibus uniuscuiusque classis argumentum designantibus. Exempli gratia referam disticha de codicibus *iuris, historiarum, medicinae:* nomina eorum, quorum imagines pictae erant supra singula armaria, servat codex Ambrosianus editus a Muratorio [3].

THEODOSIVS
PAVLVS
GAIVS

CONDITVR HIC IVRIS SERIES AMPLISSIMA LEGVM
VERIDICO LATIVM QVAE REGIT ORE FORVM

---

[1] Lib. pont. in Agapeto ed. cit. I p. 287.

[2] V. Inscr. Christ. I p. 371-373.

[3] Muratori, Anecdota ex codicibus Ambrosianis II p. 208 et seqq.; Florez, Hisp. sacra IX p. 376, 381; Arevalus, S. Isidori Opp. II p. 2 et seqq., V p. 316 et seq., VII p. 180 et seqq.; Zirardini, Novellae leges p. 4 et seqq., 119, 120. Cf. monosticha inserta indici antiquo bibliothecae Cluniacensis (Delisle, *Inventaire des mss. de la bibl. nat. Fonds Cluni,* Paris 1884 p. 337-73).

EVSEBIVS
OROSIVS

HISTORIAS RERVM ET TRANSACTI TEMPORA SAECLI
CONDITA MEMBRANIS HAEC SIMVL ARCA GERIT

COSMAS
DAMIANVS
HIPPOCRATES
GALLIENVS

QVOS CLAROS ORBE CELEBRAT MEDICINA MAGISTROS
HOS PRAESENS PICTOS SIGNAT IMAGO VIROS

Totam horum epigrammatum syllogen vetus index bibliothecae Laureshamensis designat hoc titulo: *Versus qui scripti sunt in armaria sua ab ipso* (Isidoro) *compositi* [1]. Quare haud dubitandum cum Arevalo est, utrum haec carmina destinata essent imaginibus pingendis in paginis codicum, an in armariis sive supra armaria [2]. Imaginibus auctorum, iisque in classes apte dispositis, bibliothecae veteres ornari consuevere [3]; quem morem Christianos quoque Romae

[1] Cod. Vat. Pal. 1877; Mai, Spicil. Rom. V p. 187 (qui perperam edidit *in armario suo*): cf. Piper, l. c. p. 262.

[2] Arevalus, Isidoriana c. 81, l. c. II p. 2 et seqq. Cf. Ennodii carm. II, 31 *de epigrammatis per armaria domni Fausti factis* (Sirmondi, Opp. ed. Ven. I p. 1115).

[3] V. Plin. Hist. nat. XXXV, 2; Tacit. Ann. II, 37, 83; Seneca, De tranquill. animi c. 9; Sueton. in Tiberio c. 70; Lips. de bibl. c. X. Rodulfus Lanciani in *Bull. arch. com.* 1884 p. 49 refert de ruinis aulae veteris bibliothecae nuper effossis et de vestigiis armariorum eius impressis parieti: eodem loco vestigia quoque agnita sunt imaginum clipeatarum e gypso, quarum alteri appictum erat minio nomen; *ap*OLONIVS. THYANEVS. De bibliothecis veterum, praesertim urbanis, praeter Conzium, quem supra laudavi (p. XLII), consulendi sunt Hirschfeld, *Röm. Verwaltungsgeschichte* p. 186-192; Marquardt, *Das Privat-*

esse imitatos declaratur epigrammate bibliothecae Agapeti in clivo Scauri. Rusticus (fortasse episcopus Narbonensis) scribens ad Eucherium episcopum Lugdunensem meminit epigrammatis, quod legerat puerilibus annis (exeunte saeculo quarto) *in bibliotheca*, non ea quidem sacra, sed *studiosi saecularium litterarum ....; quum aedis ordinator ac dominus inter expressas lapillis aut ceris discoloribus formatasque effigies vel oratorum vel etiam poetarum, specialia singulorum autotypis epigrammata subdidisset* [1]. Quae exacte concordant cum carminibus supra relatis Isidori Hispalensis et imaginibus ab eo fieri iussis.

« Eiusd. lib. de nuptiis et concupiscentia », cum prologo ex Retract. et epistola ad Valerium f. 190 v.

Eiusd. ad Valerium comitem, contra Iulianum pelagianum f. 196.

« Aureoli Theofrasti (sic) de coniugio »; inc. « *Fertur Aureolus Theofrasti liber de nuptiis* » f. 207.

195. Membr. in f. varia manu, saec. facile IX et X, fol. 106.

« S. Augustini de consensu Evangelistarum » libri quatuor. Praeeunt, f. 1-4, capitula quaestionum, a secundo libro ad quartum.

196. Membr. in 4, saec. XIV, fol. *a* 212.

S. Augustini de Civitate Dei contra paganos libri XXII, cum prologo ex Retractationibus. Singulis libris praemissa tabula capitum. Glossae in marginibus. Praeit totius operis brevis notitia, inc. « *In hoc codice continentur s. Augustini contra paganos* » f. 1.

197. Membr. in 4, saec. XII et XIII, fol. 237.

S. Augustini « liber confessionum » f. 1 v.

Rhabani Mauri commentaria in librum Paralipomenon cum prologo et tabulis f. 111.

198. Membr. in 4, saec. X, fol. 93.

« S. Augustini liber qui appellatur speculum ».

199. Membr. in f. saec. XII, fol. *a* 262.

Fragmentum commentarii de Salomone in l. III, c. 3 seqq. Regum f. *a*.

« S. Augustini de Civitate Dei » (pars prior), cum prologo ex Retractationibus, usque ad lib. X; praeit tabula capitulor. f. 1.

Carmen de episcopis rothomagensibus, eadem manu usque ad Willelmum (a. 1110); inc. « *Dator apostolicus eterni regis amicus* »; postea continuatum, manu s. XII, usque ad Rotroldum (a. 1183) et, manu s. XIII, usque ad Robertum cognomine Pullum (a. 1222); item, varia manu s. XIV, (post versum abrasum) usque ad Guillermum (a. 1306) f. 94.

S. Augustini prologus de Civitate Dei ex Retract. — Initium tabulae capitulor. libri XI f. 95.

Iterum prologus qui pagina pracedenti. — Tabula capitulor. a lib. XI ad XXII f. 95 v.

De Civitate Dei, pars altera, f. 100.

200. Membr. in f. saec. IX, fol. 139.

S. Augustini de Civitate Dei, a libro XVIII ad XXII; singulis libris praemittitur tabula, f. 1 v.

« Oratio Ieremie prophete, in sabbato sancto », manu s. XIII, cum notis musicis, f. 139.

Brevis laterculus oblatorum et pecuniarum datarum monasterio cuidam, facile s. Nazarii in Laurissa, f. 139 v.

201. Membr. in 4, saec. IX, fol. 198.

« S. Augustini epi. contra Faustum manichaeum » libri II.

202. Membr. in 4, saec. VIII vel IX, fol. 182.

« S. Augustini de Trinitate ». Praeeunt, f. 1-6, tabula et epistola ad Aurelium episcopum carthaginensem; in calce, f. 6 v., legitur: « *sine prohemiis habent et duodecim sine extrema parte non parua* ».

203-205. Membranacei, in f. saec. XII, fol. 195, 243, 247.

« S. Augustini tractatus super Psalmos »; praeit epist. s. Hieronymi ad Marcellam « de diapsalmate ».

F. 1 codicis 203 « Tractatus b. Augustini quos monasterium habet in Franckental » manu s. XIV; f. ultimo, manu s. XII, adnotatio de incendio ecclesiae « frankendalensis » a. 1171.

206. Membr. in f. saec. X, fol. 183, picturis illustratus.

S. Augustini sermones XXI, in evangelistam Ioannem f. 2. — Sermones in eundem a XXII ad XXIV (usque ad ev. c. VII, 40) f. 132. — Praeeunt, f. 1 et 132, tabulae capitulorum.

Ad lectorem de emendando codice, metrice; inc. « *Sic ubi corrector meus haesit corrige lector* » f. 183 v.

207. Membr. in 4, saec. IX vel X, fol. 127.

« S. AUGUSTINI pars media in Iohannem » (i. e. tractatus a sermone XXI ad LI).

Tabula imperfecta, manu saec. circiter XI, f. 127 v.

208. Membr. in f. saec. XI, fol. *a* 124.

Tabula codicis duplex, manu saec. XIV-XV, et m. s. XV, f. *a*.

« S. AUGUSTINI » opera, sequentibus praescriptis titulis:

« De sermone domini in monte » libri II (cum prologo ex Retractationibus f. 38 v.) f. 1.

« De presentia Dei » f. 40.

« Ad Paulinam de uidendo Deum » f. 44 v.

« Ad sororem de uita christiana » f. 56.

« De agone christiano », cum prologo ex Retractationibus, f. 64.

Sermones duo (de poenitentia) f. 71 v.

« Liber de penitentia » f. 73.

« Libellus de conflictu uitiorum atque uirtutum » f. 79.

« Liber dialogorum percontante Orosio prbro. » f. 85 v.

« Liber de decem cordis »; praeeunt versus s. Augustino in codice male attributi; inc. « *Iste liber modico tenuis sit corpore quamuis* » f. 96.

« Liber Manuale quod graece dicitur Enchyiridion (sic) » f. 104.

209. Membr. in 4, saec. X, fol. *a* 127.

S. AUGUSTINI libri quaestionum in Matthaeum et Lucam; praeeunt prologi duo, quorum prior ex Retractationibus. Singulis libris praemittuntur capitula.

Eiusd. « quaestiones ex Euangelio » f. 46 v.

« Capitula questionum et epistolarum sequentium » f. 58.

Eiusd. « questiones tres decerptae de libro questionum octo ad Dulcitium » f. 59 v.

Eiusd. epistolae « ad Aurelium episc. pro amouendis conuiuiis de ecclesiis » f. 65, et « de monachis » f. 69 v. — « ad senem Alipium de conuersione Dioscori » f. 70 — « ad abbatem Eudoxium insulae caprariae » f. 71 — ad « Celestinum diaconum de caritate » f. 73 — « ad Restitutum diaconem (sic) de sufferentia malorum in ecclesia » f. 73 v. — « ad Largum admonitio bonorum » f. 74 v. — « ad Bonifatium comitem de exhortatione uitae aeternae » f. 75 — « ad Crisimum » f. 80 v.

« Alypii et Augustini (epistolae) ad Peregrinum episc. » f. 81 v. — « ad Maximum medicum thenitanum eunomianum » f. 82.

« S. Augustini epistola ad episcopum Esicium de fine saeculi » f. 85 v. — « Rescriptum memorati Esicii episc. ad s. Augustinum » f. 88.

Eiusd. epistolae ad « Deutherium pro Victorino manichaeo subdiacono »

f. 91 v. — « ad Macrouium ep. donatistam pro diacono quodam ne eum rebaptizaret » f. 93 — « ad Cecilianum comitem aduersus donatistas » f. 98.

« Gesta ab Augustino confecta quando sibi successorem elegit » f. 99.

« Habiti presbyteri epist. papae Palconio » f. 102.

S. Augustini epistolae « ad epm. Quintillianum pro Galla et Simpliciola » f. 103 v. — « ad Felicitatem et Rusticum de correptione » f. 104.

« Euodii epistolae ad s. Augustinum de ratione et Deo » f. 105 v. — « de uirginitate b. Mariae et de corpore filii dei » f. 107 v. — « de suprascriptis questionibus et de questione epistolae Petri apostoli » f. 109 v. — « S. Augustini epistolae ad Euodium de uisionibus somniorum » f. 110 — « de ratione et deo, de corpore domini et de uisionibus somniorum » f. 113.

S. Hieronymi epistolae ad « Vitalem episc. quomodo Salomon et Achaz undecim annorum filios genuisse dicantur » f. 117 v. — ad Damasum « de tribus hypostasis (sic) et communione populorum » f. 120 v. — « ad Theodosium et ceteros anachoretas intrinsecus commorantes » f. 123 — « ad Marcellam de quinque Novi Testamenti questionibus » f. 124.

Initio codicis, f. *a*, fragmentum missalis, manu saec. XV; in calce, f. 125, fragm. tabulae capitulorum commentarii in actus apostolorum, manu saec. XII, et f. 125 v. tabula missarum a Circumcisione domini ad cathedram s. Petri.

210. Membr. in 8, saec. VII vel VIII, fol. 270, litteris uncialibus.

Index librorum quorumdam, manu saec. circ. IX, f. 1.

Tabula codicis f. 1 v.

« S. Avgvstini » opera, sequentibus praescriptis titulis:

« De bono coniugali », cum prologo ex libro Retractationum, f. 2.

« De sancta uirginitate », cum prol. ex Retractationibus, f. 22.

« Ad Iulianam de uiduitate conseruanda » f. 49 v.

« Ad Probam de orandi modo » f. 66 v.

« Ad Aurelium de opere monachorum », cum prologo ex Retractationibus, f. 79.

« Ad Casulanum presb. de ieiunio Sabbati » f. 111 v.

« De agone xpiano », cum prologo ex Retr. f. 129.

« De uita et moribus clericorum », sermones duo, f. 149.

« Ad Armentarium et Paulinam » f. 161 v.

« De diuersitate timoris et mortis in die martyrum » f. 166 v.

« De beatitudinibus secundum Mattheum in natale uirginis martyris cuius nomen tacetur » f. 171.

« Nicetae episc. de uigiliis seruorum dei » f. 178 v.

« Eiusd. de psalmodiae bono » f. 183.

S. Augustini « sermo habitus in basilica restituta XI Kal. Februariis natalis s. Vincentii (sic) » f. 187 v.

« De seminatore uerbi », sermo, f. 199.

« De luctatione Iacob » f. 205 v.

« De eo quod apparuit dominus Mosi in rubo ardenti, inibi et sermo de Esaia propheta » f. 212 v.

« De pastore et mercenario et fure » f. 224.

« De paenitentiae medicina » f. 234.

« De paenitentia niniuitarum » f. 249.

« De utilitate agendae paenitentiae et de psalmo L » f. 260 v.; finem quaere f. 103, in cuius calce legitur « de quinque panibus et de duobus piscibus », qui tractatus desideratur. Item desunt tractatus duo alii, quos tabula initio codicis indicat hoc modo: « de monachis ad clericatum ambitionis morbo tendentibus — quod in auribus uirorum enaures (sic) ad seruiendum daemonibus suspendantur ».

211. Membr. in 4, saec. IX vel X, fol. *a* 130.

Tabula codicis f. *a*.

S. AUGUSTINI epistolae ad Volusianum f. 1 — ad Bonifacium ep. f. 9 v. — ad Armentarium et Paulinam de votis reddendis f. 14 v. — ad Marcellinum f. 19 — ad Letum de tolerantia passionum f. 27 — ad Italicam de fide f. 31 — ad Paulinam de videndo deo f. 33.

Maximi grammatici madaurensis et Augustini epistolae mutuae f. 62 v.

S. Augustini epistola ad Valentinum f. 65 v.

Eiusd. de solutione quaestionum: 1° de resurrectione, 2° de tempore christianae religionis, 3° de sacrificiorum distinctione, 4° « de eo quod scriptum est in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis », 5° « de filio dei secundum Salamonem », 6° de Iona propheta f. 68 v.

MACEDONII episc. et Augustini epistolae mutuae f. 82.

Augustini epistola ad Paulinum episc. f. 94 — ad Probam viduam de modo orandi f. 106 v.

Eiusd. Regula f. 117.

Eiusd. « de uita et moribus clericorum ad seipsos », sermones duo, f. 121.

FRIDERICI I imp. epistola ad Henricum regem Romanorum « de graecorum machinationibus contra exercitum s. Crucis » f. 130.

212. Membr. in 8, saec. IX vel X, fol. 72.

(S. AUGUSTINI?) homilia « de die iudicii »; inc. « *O frs. Kmi. quam tremendus est nobis dies ille* » etc. f. 1.

« Eiusd. sermo » quare christiani sumus f. 1 v.

« Eiusd. dicta ad praedicandum » (de eodem argumento) f. 3.

« Secundum Matheum (sic) » (tractatus in quasdam sententias istius evan-

gelii, idest: Diligite inimicos vestros etc. Intrate per angustam portam etc. Non potest arbor bona etc. Quaerite ergo primum regnum dei etc.) f. 4 v.

« Praedicatio cotidiana »; inc. « *O fr. k. recordemur dignitatis regni coelestis* » f. 7 v.

(Bonifacii) « Praedicatio de die iudicii »; inc. « *Duo regna statuit Deus praesentis temporis et futuri* » f. 9.

« Dicta sancti Efframi (sic) »; inc. « *Fr. k. quid quaerit dominus a nobis nisi salutem animarum nostrarum* » f. 10 v.

« Praedicatio de uita sanctorum et praemiis »; inc. « *O fr. dil. faciamus bonum ad omnes homines et habemus patientiam* » f. 11 v.

« Sancti Effraem dicta »; inc. « *Fr. k. oportet nos tota mentis intentione inquirere et intellegere quare christiani sumus* » f. 12 v.

« De fide Trinitatis quo om̄ (l. quomodo) exponitur »; inc. « *Quicumque uult esse saluus ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem* » (non est symbolum vulgo athanasianum, sed Venantii Fortunati expositio in symb. apostolor.) f. 13 v.

« Praedicatio carere tormenta » (tractatus de tormentis peccatorum in inferno); inc. « *Peccatoribus autem et impiis homicidiis* (sic) » f. 15.

Sermo absque titulo, cuius loco: « In Nomine dei summi »; inc. « *Primum quidem decet audire iustitiam* » f. 15 v.

(Bedae) homilia; inc. « *Pius et misericors dns. ff. kmi per prophetam nos exhortatur ad conpunctionem* » f. 17.

(S. Augustini?, in cod. 220 s. Ephrae) sermo ad fratres in heremo; inc. « *Audite filioli mei et intelligite quomodo sacra scriptura uos admonet* » f. 18.

Sermo sine titulo; inc. « *Ad ecclesiam frequenter conuenite confessiones uestras sacerdotibus confitete* (sic) » f. 19.

Sermo sine titulo; inc. « *In primis omnibus communiter fidelibus et infidelibus tota* (sic) *terrarum orbem inhabitantibus* » f. 21.

Sermo sine titulo; inc. « *Querite primum regnum dei et iustitiam* » f. 21 v.

(S. Augustini?) sermo de Quadragesima; inc. « *Dns. et saluator noster qualiter ad eum post multas negligentias uenire debeamus per prophetas nos hortatur* » f. 22.

Sermo sine titulo; inc. « *Visitate infirmi* (sic), *requirantur in carcerem constituti, peregrini suscipiantur* » f. 23.

Sermo sine titulo; inc. « *Timete dominum et diligite semper quia lenis est dominus et largus iis qui diligunt eum* » f. 24.

Sermo sine titulo; inc. « *Hic ergo natus est ex uirgine ut nos renasceremus* » f. 24 v.

Sermo sine titulo; « *Oportet nos unumquemque diligere animam suam* » f. 25.

Sermo sine titulo; inc. « *Septem sunt signa que sanauerunt hunc mundum* » f. 25 v.

Sermo sine titulo; inc. « *Sapientis oculi in capite eius et stultus in tenebris ambulat* » f. 25 v.

(S. GREGORII) in Ezechielem « omelia nona »; inc. « *Initium libri in ezechiel propheta* (sic) *magnis obscuritatibus clausum* » f. 26 v.

Eiusd. liber quartus Dialogorum f. 39.

« Seculare sybyllinum venientis irae magnae mundo stupore abenti in fine ut de imaginem dicam »; inc. « *Omnibus profetando per singulas civitates ex quo turris cecidit* », prima pagina tantum, reliqua desiderantur, f. 72.

213. Membr. in 8, varia manu saec. X-XI, fol. 71 (folia 1-20, forma oblonga, quaere in fine codicis).

Tabula quaternionum f. 1.

« S. AUGUSTINI omelia de reddendis decimis ante nat. s. Iohannis » f. 1 v.

« Eiusd. epistula de faciendis elimosinis » f. 3 v.

« Eiusd. omelia » de Lazaro et divite f. 5.

« Eiusd. epistula » de cogitatione mortis f. 6.

« Eiusd. sermo de decim (sic) talenta » f. 7 v.

(Eiusd. vel Caesarii?) « de diligendis inimicis » fine mut.; inc. « *Scio et credo caritatem uestram sapienter intellegere* » f. 8 v.

Pars extrema homiliae quae explicit « *illam felicem et desiderabilem uocem mereamur audire euge servi boni* (sic) *et fidelis intra in gaudium domini tui* » f. 9.

« S. Augustini omelia de die iudicii » f. 9.

S. IACOBI epistolae, cum prologo, f. 11 v.

S. PETRI epistola prima, cum prologo, f. 15 v.

Fragm. tractatus de re grammatica, litteris, initio praesertim, evanidis, f. 21 (nunc primo in cod.).

Prologi duo, lexicographicus anonymi, et metricus ALCUINI ad Carolum regem Francorum in categorias Aristotelis a s. Augustino translatas; prior inc. « *Ter binos deciesque nouem super exiit in annos – Quidquid siue uisibile siue inuisibile* » etc. alter « *Continet iste decem naturae uerba libellus* », cum scholiis, f. 22.

(De) « decem preceptis et decem plagis »; inc. « *Diligenter considerandum est cur numerus preceptorum legis dei* » etc. imperfect. f. 52 v.

« Opusculum de essentia diuinitatis dei et de inuisibilitate atque immensitate eius »; inc. « *Omnipotens deus pater et filius et sp. s. unus atque trinus* » f. 55.

« S. Augustini (l. GENNADII) liber de definitionibus ecclesiasticorum dogmatum » usque ad artic. 41; reliqua desiderantur, f. 65.

214-215. Membranacei in f. saec. XIII, fol. 213 et 217.

S. AUGUSTINI tractatus in Psalmos, priore vol. a 51° ad 100^m, altero a 101° ad 150^m. In calce operis tetrastychum de codice oblato s. Nazario in Laurissa.

216. Membr. in 8, varia manu saec. VIII vel IX, fol. 133.

« S. AUGUSTINI expositio in libro Genesis contra manichaeos » f. 1 *a*.

Eiusd. « Omelia de aduentu domini » f. 21.

Eiusd. « item alia humilia (sic) » (de eodem argumento) f. 25.

Eiusd. « Omiliae de natale domini » (duae) f. 28 v.

Eiusd. Homiliae duae « in natalis sancti Stephani martyris » f. 35 v.

« Humilia in natalis sancti Iacobi et sci. Iohannis evang. » (ex Hieronymi comm. in Matthaeum, cap. 20) f. 39 v.

« Item alia humilia eiusdem (sic) » (de eodem argumento; A. Maius adnotavit Hilario tributam esse in cod. vat. 4222 f. 46) f. 43 v.

(S. Augustini?) homilia in natali ss. Innocentium f. 49.

« Vita uel obitus sancti Landiberti pontificis qui passus est XV kal. October in uilla nuncupante Leodi ubi coepit sed domnus apostolicus requiescit in pace »; inc. « *Si paganorum figmenta saeua et nefanda prolixa studeant* » f. 52 v.

Excerptum e libro Proverbiorum, c. I, v. 20-22, f. 75 v.

« S. Augustini humilia » in evang. Diligite inimicos vestros f. 76.

« Excarpsu (sic) ex libro sancti Esidori de flagellis dei »; inc. « *Diuinae sapienciae subtilitas sicut interius ut testis* » etc. f. 79 v.

« S. Augustini episcopi humilia » (ad fratres in heremo) f. 83.

« Excarpsu (sic) sancti Hesidori feliciter »; inc. « *dilectissime omni hora habeto mortem prae oculis tuis* » f. 85 v.

« Liber sancti (sic) de disperacione peccancium » f. 89 v.

« S. Isidori de die iudicii » f. 91 v.

« SANCTI FAUSTI admonicio »; inc. « *Modo fratres karissimi cum diuina lectio legeretur audiuimus apostolum terribiliter nos et salubriter admonentem* » f. 96 v.

« Excarpsum de epistola sancti Fratali (FASTIDII) de uita christianorum » f. 100.

« S. Augustini epistola de igne purgaturio (sic) » f. 104.

« S. HIERONIMI dicta quam qui legit et opere impleuit uitam eternam possidebit »; inc. « *Dilectissimi fratres, oportet nos humilitatem habere, praeceptum Dei costodire* (sic) » f. 109 v.

(S. Augustini?) « Homelia de Epiphania »; inc. « *Sicut iam aliquando caritati uestrae suggessimus* » f. 116.

« S. Augustini humilia de igne purgaturio » (eadem quae supra, f. 104, varians tamen in fine) f. 121.

Vita sancti Pauli; inc. « *per uerbum dei ductus est in regnum dei* »; prima pagina tantum, f. 126 v.

« S. Augustini humilia ad populum » fine mutila; inc. « *Fratres karissimi ad memoriam nostram reducimus* » etc. (ipsius Augustini in sermone mentio fit; auctor est Caesarius) f. 127.

217. Membr. in 8, saec. XII, fol. 88.

S. Augustini « liber enchiridion de fide, spe et karitate » f. 1.

Vita s. Brandani; inc. « *Sanctus Brandanus filius Fanlochani nepos althi de genere eogeni* » f. 54.

Henrici V imperatoris epist. de infidelitate et seditione Adelberti cancellarii eius et archiep. Moguntini; inc. « *Longa et inaudita quamdiu confracti molestia* », alia manu; imperf. f. 86.

218. Membr. in 8, saec. IX vel X, fol. 93.

« S. Augustini omelie » (decem in ep. Ioannis apostoli) f. 1.

« De homine qui descendebat ab hierusalem in hiericho ex libro s. Augustini episcopi » f. 87.

« De homine qui media nocte petit ab amico suo panes ex libro (s. Augustini) questionum euangelii » f. 87 v.

« Item de pane pisce et ouo » (ex Augustini Quaest. evang.); inc. « *Incipit de pane pisce et ouo quibus contraria ponit lapidem serpentem scorpionem* » f. 88.

« De uilico quem dominus eiciebat de uilicatu » (ex Augustini Quaest. evang.); inc. « *In uilico quem dominus eiciebat* » etc. f. 88 v.

« Item de iudice iniquo quem uidua interpellabat ex libro (s. Augustini) questionum euangelii » f. 89 v.

« Item de septiformi spiritu et VII (sic) beatitudinibus VIIq: petitionibus »; inc. « *videtur etiam mihi septenarius numerus* » f. 90 v.

« Quemadmodum cathezizandus (sic) sit qui uult fieri christianus ex libro s. Augustini » f. 91 v.

219. Membr. in 8, saec. XII vel XIII, fol. 55.

« Liber de christiana vita », initio mutilus et titulo carens, f. 1. In calce libri nomen Augustini adscriptum; initio codicis, manu s. XVII, adnotatur non esse Augustini sed Fastidii Britannor. episcopi.

S. Augustini sermones duo de moribus clericorum; prior inc. « *XV kalendas Ianuarias Theodosio Aug. undecimo ualentino* (sic) » etc. f. 5.

Eiusd. de agone christiano, cum prologo ex Retractationibus, f. 13 v.

« Eiusd. sermo aduersus quinque hereses, id est Paganos, Iudeos, Manicheos, Sabellianos et Arrianos » f. 27 v.

« Eiusd. dialogus ad Felicianum arrianum » f. 40.

CARMINA varia f. 53 v.-55, praescriptis titulis sequentibus:

« Versus de creatione mundi »; inc. « *Concipiens mundum ratio diuina secundum* » f. 53 v.

« De quatuor elementis »; inc. « *Alma parens producit, alit, recipitque creata* » f. 53 v.

« Salutatio ad amicum »; inc. « *Sinceris loris tibi sic astringor amoris* » f. 54.

« Versus » (de Eucharistiae sacrificio pro vivis et defunctis); inc. « *Tollimur e medio fatis urgentibus omnes* » f. 54.

« Cur in natali domini tres missae dicantur »; inc. « *In natale sacro sacre sollempnia misse* » f. 55.

« Cum reduceret dominus Adam de inferno »; inc. « *Cum te plasmaui non hac te sede locaui* » f. 55.

« Dum lucem habetis credite in lucem »; inc. « *Dici iure potest quia lucis filius hic est* » f. 55.

« Orabo spiritu orabo et mente »; inc. « *Fructu sepe caret mens quamquam spiritus oret* » f. 55.

« Corde creditur ad iusticiam »; inc. « *Corde retenta fides iustos facit atque fideles* » f. 55.

« De utilitate auferendi »; inc. « *Prudens uir nouit quantum collatio prosit* » f. 55.

« Quod oportet hereses esse »; inc. « *Quod recte credit qui non defendere nouit* » f. 55.

« De apostolis et prophetis »; inc. « *Isaye uatis Petrus gestatur in ulnis* » f. 55 v.

« Versus HILDIBERTI episcopi de luxuria »; inc. « *Plurima cum soleant sacros euertere mores* » f. 55 v.

220. Membr. in 8, saec. IX, fol. *a* 71, picturis illustratus. — Usque ad f. 48 v. in omnibus fere convenit cum cod. 212.

Codicis liturgici pagina deleta f. *a*.

(S. AUGUSTINI?) « Homilia de die iudicii »; inc. « *Frs. karissimi quam tremendus* » etc. f. 1.

« Eiusd. sermo quare christiani sumus » f. 2.

« Eiusd. dicta ad predicandum » f. 5.

« Secundum Matheum » (tractatus in sententias quasdam istius evangelii, prout in cod. 212) f. 8.

« Predicatio cotidiana »; inc. « *O fr. k. recordemur dignitatis regni coelestis* » f. 13.

(BONIFACII) « Predicatio de die iudicii »; inc. « *Duo regna statuit Deus* » etc. f. 16.

« Dicta sancti Effram (sic) »; inc. « *Fr. k. quid quaerit dominus a nobis* » etc. f. 18.

« Predicatio de uita sanctorum et premiis »; inc. « *O fr. dil. faciamus bonum ad omnes homines* » etc. f. 20.

« Dicta sancti Effram (sic) »; inc. « *Fr. k. oportet nos tota mentis intentione inquirere* » etc. f. 22.

« De fide trinitatis quomodo exponitur »; inc. « *Quicumque uult esse saluus* » etc. (VENANTII FORTUNATI expositio symboli apostolor.) f. 23 v.

« Predicatio carere tormenta »; inc. « *Peccatoribus autem et impiis homicidiis* (sic) » f. 26 v.

Sermo sine titulo, cuius loco: « In nomine dei summi »; inc. « *Primum quidem decet nos audire iustitiam* » f. 28.

(BEDAE) « Predicatio cotidianem (sic) »; inc. « *Pius et misericors dominus fr. car. per prophetam* » etc. f. 30 v.

« Dicta sancti Effram »; inc. « *Audite filioli mei et intelligite quomodo sacra scriptura uos admonet* » f. 33.

Sermones tres sine titulo, cuius loco in singulis praescriptum: « In nomine dei summi »; inc. primus « *Ad eclesiam* (sic) *frequenter conuenite confessiones uestras sacerdotibus confitete* » (secunda manus correxit: *confitemini)* f. 35: secundus « *In primis omnibus commoniter* (sic) *fidelibus et infidelibus* » etc. f. 38 v.: tertius « *Querite primum regnum dei et iustitiam* » f. 40.

(S. Augustini?) sermo de Quadragesima; inc. « *Dominus et saluator noster qualiter ad eum post multas neglegentias uenire debeamus* » etc. f. 40 v.

« Dicta sanctorum »; inc. « *Visitate infirmi* (sic) » etc. f. 42 v.

Sermo sine titulo, cuius loco « In nomine dei summi »; inc. « *Timete dominum et diligete semper* » etc. f. 44 v.

« Natiuitas dicitur saluatoris » sermo; inc. « *Hic ergo natus est ex uirgine ut nos renasceremus* » f. 45.

Sermones duo sine titulo, cuius loco « In nomine dei summi »; primus inc. « *Oportet nos unumquemque diligere animam suam* »: secundus « *Septem sunt signa que sanauerunt hunc mundum* » f. 46.

« Hic est sapientia p' sonui lominis (sic) »; inc. « *Sapientis oculi in capite eius et stultus in tenebris ambulat* » f. 47 v.

« Ihesus dixit Thomas dii (sic) iudicii » sermo; inc. « *Audit thomas que oportit* (sic) *fieri in nouissimis temporibus* » f. 48 v.

« Passia (sic) sancte Columbae »; inc. « *In diebus illis aduenìens aurilianus imperator de partibus orientis* » f. 53.

« Sancti .... (sic, l. Pauli) Apostoli » (visiones apocryphae); inc. « *Scio hominem raptum usque ad tertium celum* » f. 56.

« Dicta sce. scalea (sic) »; inc. « *Septem scale sunt quibus ascendentur regna celorum* » f. 60.

De die dominica; inc. « *Qua* (sic) *in hac die creata sunt omnià idest celum et terram et omnia q. in eis sunt* » f. 60 v.

« Sancti Augustini sermo »; inc. « *Fr. k. semper finem nostrum adtendere debeamus* » f. 61 v.

Series nominum germanicorum; inc. « *Engilberht; uualtger; reginger* » f. 62 v.

Symboli niceni initium f. 62 v.

« Sancti Faustini (sic) dicta »; inc. « *Quotienscumque frs. k. sanctorum martyrum solemnia celebramus* » f. 63.

« Item eiusdem de natale domini »; inc. « *Natalis domini dicitur ea de causa* » etc. f. 66 v.

« Sancti Gregorii de natale domini » f. 67.

« Beati Agustini (sic) de natale domini »; inc. « *Natalis est ergo hodie dies saluatoris fr. k.* » f. 69.

« Item de natale domini »; inc. « *Natus est hodie Christus, deus de patre homo de matre* » f. 70 v.

« Augustini (sic) de natiuitate domini »; inc. « *Quod profeta* (sic) *previderunt et predixerunt* »; imperfect. f. 71.

In summo margine singulis paginis inscripti versiculi e Sacris Scripturis, hymnis, antiphonis precibusque liturgicis cum neumatibus. — F. 58, in imo margine, quinque versiculi antiqua lingua germanica; inc. « *Kirst imbi ist hucê nu fliuc du uihu minaz* (corr. ex *manaz*) *hera* ».

221. Membr. in 8, saec. XIII-XIV, fol. 132.

S. Augustini de concordia quatuor evangelistarum f. 1.

« Nicolai Ambianensis ars fidei chatolice (sic) » f. 57.

« Expositio simbolorum (sic) fidei apostolorum, ecclesie » et « Athanasii »; inc. « *Summa theologice discipline in duobus consistit* » f. 62.

« Exserpciones (sic) de libro P(etri) Alfonsi contra Iudaeos » f. 70 v.

Expositio decalogi, imperfecta; inc. « *Non habebis deos alienos* (etc). *Hoc est primum mandatum* » f. 85.

« Iohannis Anglici glose super Iohannicium » (de medicina); inc. « *Omnis anima nobilis habet tres operaciones, uegetare, sentire et intelligere* » f. 89.

De generatione et corruptione et aliae quaestiones philosophicae; inc. « *De generatione et corruptione et natura generatorum et corruptorum similiter de omnibus* » (etc.), fine mutilus, f. 115. — Alia manu, f. 125, sequuntur quaestiones de rebus philosophicis; dubium, utrum continuatio praecedentis tractatus an pars alterius; inc. « *Sicut dicit philosophus omnia appetunt esse externum* ».

222. Membr. in 12, saec. XV, fol. 172.

« S. Augustini liber de uera religione », cum prologo ex Retractationibus, f. 1.

« S. Augustini Soliloquiorum libri duo » (prologus ex Retractationibus habetur in fine, f. 87 v.) f. 53.

« Eiusd. liber de immortalitate anime », cum prologo ex Retractationibus, f. 88 v.

« Eiusd. de gratia et libero arbitrio » f. 105. Praeeunt, f. 102, epistola ad Valentinum, et f. 104 v. prologus ex Retract.

« Eiusd. epistola ad quemdam comitem » (Liber exhortationis, sive de salutaribus documentis) f. 135.

223. Membr. in 12, saec. XV, fol. 45.

« S. Augustini liber exhortatorius ad quemdam Comitem carissimum sibi » (idem opus quod in cod. praec. f. 135) f. 1.

« Eiusd. de disciplina christiana » f. 37.

224. Membr. in 12, saec. XV, fol. 71.

S. Augustini « liber soliloquiorum », scriptus anno 1457, f. 2.

« Eiusd. speculum contemplationis divine dulcedinis liber s(cilicet) supputationum de divinis scripturis collectus ad eorum praesertim utilitatem qui contemplative vite sunt amatores »; inc. « *Summa trinitas uirtus una et indiscreta maiestas* » f. 41.

« Hymnus laudis ad deum patrem »; inc. « *Omnipotenti deo digna demus preconia regi regum* » f. 72.

« Eiusdem beati Augustini oratio quam fecit cum civitas ypponensis (etc.) obsidebatur a barbaris »; inc. « *Ante oculos tuos domine culpas nostras facimus* (sic) *et plagas quas accepimus conferimus* » f. 72.

225. Chart. in 12, saec. XV, fol. 272.

Tabula codicis f. 1.

« S. Augustini » opuscula, titulis sequentibus:

« Liber de quatuor virtutibus caritatis » f. 2.

« Sermo de morte » f. 7.

« Libellus in quo increpatur dolosus et iracundus ut agnoscat quod diu iram tenuerit proximo suo peccata sibi demitti non posse sed magis augeri » f. 9 v.

« Sermo de quadragesime abstinentia » f. 11.

« Sermo de cogitacionibus » f. 12 v.

« Sermo ubi increpat(ur?) qui diu iram in pectore retinet et non vult humiliari » f. 13.

« Sermo de oracione dominica » f. 13 v.

« Sermo de pace » f. 15.

« Sermo de flagellis » f. 17 v.

« Sermo de nativitate d. n. Iesu Christi » f. 19.

« Sermo de quinta feria passionis » f. 21.

« Sermo de sexta feria XX » f. 23.

« Sermo de latrone XXI » f. 25 v.

« Sermo de duobus latronibus XXII » f. 27.

« Sermo de cruce et latrone » f. 28.

« Sermo de pace XXIIII » f. 31.

« POSSIDII episc. vita s. Augustini et iudicium librorum eius » f. 32.

« S. Augustini regula » f. 66 v.

« Eiusd. sermo de communi vita clericorum » f. 71 v.

« Eiusd. alius sermo » (de vita et moribus clericorum suorum) f. 76.

« S. ELIGII episc. sermo ad omnes in Christo fratres » f. 82.

« S. Augustini (HUGONIS DE S. VICTORE) soliloquium de arra anime » f. 102 v.

« S. BERNARDI abbatis meditationes » f. 119 v.

« Cur et quando et quomodo deus fieri voluit homo »; inc. « *Sancti Spiritus adiuuante gratia tractaturi cur* » (etc.); praefixus est et alius titulus operis versibus leoninis, f. 228.

« S. Augustini omelia (sic) de purificacione sancte Marie vel assumptione sive nativitate ipsius vel natali domini » f. 229.

« Sermo ad virgines » (de sobrietate et castitate); inc. « *Cum mortalium mutabilis mens* » f. 232 v.

« S. Augustini tractatus ad carnem superbam » f. 240.

« Eiusd. sermo de divite » f. 243.

« Eiusd. sermo de penitencia » f. 245.

« Eiusd. sermo de ieiunio et oracione » f. 246.

« Eiusd. admonicio ad populum » f. 247.

« Eiusd. sermo de decimis » f. 249.

« Sermo de futura vita cogitanda »; inc. « *Fr. c. quod audiuimus dici ut sursum cor habeamus* » f. 251.

« Domni IOHANNIS constantinopolitani episcopi sermo de compunctione » f. 252.

« De doctrina domni vel sancti Severini episcopi »; inc. « *Dilige Deum, sapientiam disce, omnia cum mensura age* » f. 253 v.

« S. AMBROSII episc. altercacio contra eos qui animam non confitentur esse futuram, aut ex traducem esse dicunt aut porcionem divinitatis esse dicunt » f. 255.

Passio s. Ceciliae virg. et mart.; inc. « *Quodam tempore erat Rome quedam puella nomine Cecilia* » f. 256 v.

226. Chart. in 8, saec. XV, fol. 204.

« Beati AUGUSTINI libellus de poenitentia », scriptus anno 1444 (v. f. 11), f. 1.

Lexicon latino-germanicum, ordine alphabetico, f. 11.

« S. Augustini de vita christiana » f. 13.

Versus ad peccatores ne desperent; inc. « *Perfidus aspiciat Petrum praedoque latrare* »; in margine et in calce paginae adnotationes de siclo, f. 24 v.

« S. Augustini ad Comitem et dicitur de salubribus dogmatibus » (id est liber exhortationis sive de salutaribus documentis) f. 25.

Interpretatio mystica alphabeti hebraici; inc. « *Aleph interpretatur doctrina* » f. 60.

« Nota aliquos libros originalium sanctorum doctorum quantum ad principia et fines ut si quis legens ueracius allegare poterit et illuc si quis legit assignare »; sequuntur initia et fines librorum, adscriptis nominibus « s. Ambrosy, s. Augustini, b. Bernhardi, s. Dyonisii, b. Gregory, b. Hilary, b. Ieromini (sic), b. Iohannis Crisostomi, b. Ysidori », (plenius in cod. 233 f. 292), scr. anno 1447, f. 50.

Quaestiones de quibusdam evangeliorum sententiis; inc. « *Item ad .... bonum erat ei uel melius illi erat si natus non fuisset homo ille* » f. 58.

« Casus concessi tempore generalis interdicti secundum Iohannem Andree » f. 58 v.

« Item casus prohibiti secundum eundem » f. 59.

« Item alii casus concessi tempore generalis interdicti secundum alios doctores », scr. anno 1447, f. 59 v.

« Venerabilis magistri Nicolai Iauer (sive « Gaur ») liber supersticionum », scr. anno 1447, f. 61 v.

Carmen de vita humana, lingua germanica; inc. « *Mich vundert oft var uber das fry* » f. 106 v.

« Rex pauper Henricus », versus; inc. « *Nec te pretereat humane sortis origo* ».

« Pauperis Henrici de sua miseria et fortune miseriis ad normam Boetii de consolacione », versus; inc. « *Gentibus obbrobrium sum crebraque fabula uulgi* » f. 108 v.

Quaestiunculae morales; inc. « *An liceat homo in se* » etc. Insunt excerpta ex Ambrosio, Augustino, Bernardo, Gregorio Magno, f. 108 v.

« Seneca de quatuor virtutibus cardinalibus », scr. anno 1438, f. 109. — In calce, f. 115 v. et 166, epigramma de amore; inc. « *Nulla remota uia solidum partitur amorem* ».

Sententiae morales variae, pleraeque metricae; inc. « *Turpe quid ausurus te sine teste time* » f. 116.

« Haec sunt proverbia sapientum »; inc. « *Non dominus in patria est quem odit gens propria* », sequuntur proverbia metrica, quorum auctores: « Acalus, Albertus, Alexander, Appius, Aristo(te)les, Augustinus, Augustus, Averrois, Avicenna, Boetius, Calo (Cato?), Cato, Cicero, David,

doctrinale, Emphedoces, Euciclius, Euforbius, Galienus, Hermes, Horatius, Iuvenalis, Iulius, Iuventius, Kassiodorus, Lucanus, Lucius, Macer, Macrobius, Marcel(lus), Neptonabus, Ovidius, Papias, Platearius, Plato, Pompeius, Preses, Ptolomaeus, Pythagoras, Rhabanus, Sallustius, Salomon, Seneca, Socrates, Solinus, Terentius, Tiberius, Tobias, Unecamus, Vindocinensis, Virgilius, Ypocras, Ysegius, Ysidorus, Zozias (Tobias) » f. 117.

Mixta latinis carmina lingua germanica f. 120.

S. Gregorii Magni prologus in Cantica Canticorum (excerptum) f. 121.

« B. Augustini epistolae (duae) consolatoriae infirmorum », scr. anno 1444, f. 122.

Consensus evangelistarum (tabula) f. 130 v.

« Quare Christus pati voluit sexta feria »; inc. « *R. Ut dies qua Christus crucifixus est* » etc. f. 132 v.

« Augustini speculum peccatoris » f. 133.

« B. Augustini soliloquium de visione dei » f. 138 v.

Appendix tractatus de praedestinatione; inc. « *(A)ddere etiam hoc quam maxime huic operi oportuit ut et uestram calumniam quam obicere nobis soletis* » f. 172.

« De spirituali crucifixione penitentis »; inc. « *Fuerunt autem in dominica cruce ligna quatuor scilicet stipes siue lignum erectum* » f. 178 v.

« B. Augustini liber meditationum » f. 181.

(S. Iohannis) « Crisostomi de laude Pauli » f. 196 v.

De quatuor temporibus anni et mundi; inc. « *Siquidem annus solaris quatuor temporum successione dilabitur* » f. 201 v.

De homiliis ss. Augustini, Hieronymi et Bedae; item de homiliis ss. quatuor ecclesiae doctorum, scil. Augustini, Gregorii, Hieronymi et Ambrosii in evangelistas, adnotatiunculae, f. 203 v.

227. Partim chart. partim membr. in 8, saec. XV, fol. 88.

Fragmentum instrumenti saec. XIV (annus periit) f. 1 membranaceo adhibito in compactione codicis.

Codicis tabula f. 1 v.

« Tractatus de collacione reprehensiva Petri et Pauli apostolorum »; inc. « *Si quando michi desiderium audiendi contulistis* » f. 2.

Sermo de silentio sacerdotis circa peccata populi; inc. « *(S)acerdotis silentium decipit populum peccandi suppeditat fomitem* » f. 9 v.

« Sancti Augustini flores veritatum de mirabilibus sacre scripture » (excerpta ex s. Aug.) f. 10 v.

Augustini de agone christiano, et « Bernhardi de fervore indiscreto » (excerpta) f. 13.

« Itinerarium eternitatis »; inc. « *(E)um qui venit ad me* (etc.) *Io. VI, 37. Augustinus in libris de agone uere uite dicit* » f. 14.

« Beati AUGUSTINI liber de honestate mulierum » f. 66.

« Eiusd. liber de contemptu mundi ad clericos » f. 67.

« Eiusd. epistolae (duae) consolatoriae de visitatione infirmorum » f. 68 v.

« Eiusd. liber de beato latrone » f. 73 v.

Excerpta ex sermonibus s. Augustini f. 75 v.

« Oratio longa ad dominum gloriosum deprecativa »; inc. « *Ihesum nazarenum a iudeis innocenter dampnatum* » f. 77.

« B. BERNHARDI tractatus de corpore Christi » f. 82.

« Expositio illorum verborum apostoli: mihi absit gloriari nisi in cruce domini »; inc. « *Quidam discipulus interrogauit abbatem suum* » f. 86.

« Sermo contra discordantes »; inc. « *locuturi contra discordantes ab ipsis domini uerbis incipiamus* » f. 87 v.

228. Membr. in 8, saec. XIV vel XV, fol. 167.

S. AUGUSTINI regula, cum commentario, f. 1.

« De regul. iuris »; inc. « *Regula est que rem que est* » etc. f. 33.

« Excerpta catolicorum (sic) patrum et sententie eorum » (excerpta ex libris decretalium) f. 41.

229. Chart. in 4, saec. XV, fol. 300.

Sententiae variae ex s. Augustino; inc. « *(P)rudenter ergo accipiat unusquisque momenta, non perdat tempus misericordiae saluatoris* » f. 1.

De deo, de creaturis, de ecclesia et de aliis rebus theologicis, brevis tractatus; inc. « *Summum bonum deus est quia incommutabilis est et corrumpi non potest omnino* » f. 25.

De auctoritate et potestate papae; inc. « *Confiteor tibi celi pater et terre quia abscondisti hec a sapientibus et prudentibus* » f. 107.

FULGENTII epistolae (primae septem) et libellus de fide ad Donatum f. 165.

(S. AUGUSTINI) sermo de castitate f. 190 v.

(S. HIERONYMI) adversus Iovinianum, liber primus fine carens, f. 193.

« Versus epylogi » de Vet. et Novo Testamento, cum prologo initio mutilo; versibus praescriptum est: « *Per hos versus epylogos cognoscitur nomen libri, numerus capitulorum librorum, ordo librorum ac quotus liber sit et de quo tractat quilibet liber* » f. 202.

Lexicon latinum; inc. « *A - sicut dicit ysydorus I° eth(ymologiarum) in omnibus gentibus prior est litterarum* » f. 238.

230. Partim chart. partim membr. in 4, saec. XV, fol. *a* 110.

Sermo de assumptione s. Mariae, s. Hieronymo falso adtributus. Sequuntur sententiae patrum (Bernardi?), Hilarii (pictaviensis), Augustini, f. *a*.

« AUGUSTINI de contemplatione Christi » (i. e. Manuale) f. 1.

« De ciuitate dei »; inc. « *Piissime Deus quam dulcis est memoria tua* » f. 2 v.

« De nobilitate anime et amore Christi »; inc. « *Anima insignis Dei ymagine illustris* » f. 3 v.

« De contemplatione in excessu mentis in Deum »; inc. « *Anima mea si uis amari a Deo reforma in te imaginem suam* » f. 4 v.

« De pulcritudine Domini »; inc. « *Non tu amabilis et desiderabilis es super omnia* » f. 6.

« S. HIERONYMI epistola ad Rusticum monachum de mundi illecebris fugiendis » f. 8.

Eiusd. epistola ad Pammachium f. 8.

(MATTHAEI ANDEBERTI) flores s. Bernardi, libri XI, f. 8 v. Sequuntur, f. 108, « rubricae tocius libri, per alphabetum dispositae ».

Excerpta ex ss. Bernardo et Augustino f. 108 v.

231-232. Chartacei, in 8, saec. XV.

(AUGUSTINI TRIUMPHI et BARTHOLOMAEI DE URBINO) milleloquium s. Augustini ad Clementem VI.

231. fol. 404. — Ab initio usque ad litteram *d*.

232. fol. 401. — Usque ad finem.

233. Chart. cum foliis membranaceis, in 4, saec. XV, fol. 297.

« Mag. FRANCISCI DE MARONIS flóres beati Augustini » f. 1.

« Mag. THOMAE DE HIBERNIA quondam socii de Sorbona manipulus florum », id est sententiae doctorum qui de sacris litteris scripserunt, f. 168.

Principia et fines « librorum originalium sanctorum et doctorum » (Alani, Alcuini, Ambrosii, Anselmi, Augustini, Bernardi, Boetii, Dionysii, Gregorii, Hieronymi, Hilarii, Hugonis de s. Victore, Io. Chrysostomi, Io. Damasceni, Isidori, Macrobii, Plinii, Prosperi, Rhabani, Richardi de s. Victore, Senecae, Tullii, Valerii Maximi); inc. « *Notandum est quod libros originalium sanctorum et doctorum quantum ad principia et fines* » f. 292.

Sermo de festivitate conversionis ad vitam monasticam; inc. « *Festiuitas hodierna fratres tanto nobis debet esse deuotior quanto familiarior* » f. 296 v.

Excerptum ex s. Bernardo de Iuda Iscariota f. 297 v.

234. Membr. in 4, saec. IX vel X, in duo volumina divisus; pars prior fol. 1-113: altera fol. 114-272.

Pars prior continet:

I. Fragmentum officii liturgici de passione domini, in Parasceve, adhibitum in compactione codicis, manu saec. XII vel XIII, f. 1.

II. **Documenta ad haeresim Nestorii et Pelagii pertinentia, e graeco in latinum versa, collecta a MARIO MERCATORE, seqq. praescriptis titulis:**

« Anastasii romanae urbis episc. ad Iohannem episc. iherosolimorum (sic) super nomine Rufini » f. 2.

« De fide de nomine Rufini » (i. e. Rufini professio fidei) f. 2 v.

« Marii Mercatoris serui Christi commonitorium lectori aduersum heresim Pelagi et Caelesti uel etiam scripta Iuliani (aeclanensis) » f. 3.

Eiusd. prologus in sermonem Theodori quondam episcopi Mopsuesteni et huius sermonis latina interpretatio f. 13.

« Item alia epistula » (adversus Nestorium) f. 16.

« Item alia » (adv. Nestorium) f. 16 v.

« Item trac(ta)tus alius » (Nestorii de incarnatione dominica) f. 21 v.

« Item eiusdem sermo in ecclesia habitus postquam litteras Caelestini romani episcopi et Cyrilli alexandrini denuntia(ti)onis accepit VIII idus decembris conss. Theodosii XIII et Valentiniani III Aug. post sextum diem quam (sic) easdem litteras sumpsit » f. 22 v.

« Item eiusdem epistula ad Cyrillum alexandrinum episcopum rescribentis similiter ex greco sermone translata » f. 26 v.

« Exemplum epistolae Cyrilli ep. alexandrini ad eundem Nestorium ex greco in latinum cum impiissimae (sic) contradicens idem Nestorius respondendum esse putauit sicut superius continetur » f. 28.

« Item eiusdem epistula ad eundem Nestorium epistula (sic) secunda ex greco sermone » f. 29.

« Eiusdem episcopi Cyrilli ad clericos suos Constantinopolim constitutos ex greco sermone » f. 29 v.

« Item Nestorii de diuersis eius libris uel tractatibus excerpta ab episcopo Cyrillo capitule (sic) ex graeco a nobis, in latinum uersa » f. 31.

« Item eiusdem contra heresim Pelagii » f. 33 v.

« Item eiusdem in Adam tractatus cuius initium istud est in ecclesia publice habitus » f. 35.

« Item eiusdem tractatus alius ad populum in Adam » f. 35 v.

« Item eiusdem in eo quod scriptum est haec omnia tibi dabo si procidens adoraueris me » f. 35 v.

« Nunc exemplum epostolae (sic) eiusdem Nestorii ad Caelestium de greco in latinum translatae » f. 36 v.

« Item exemplum commoniturii (sic) quod super nomine Caelesti graeco sermone a Mercatore datum est » f. 36 v.

« Nestorii blasphemiarum capitula quibus litteris ad se missa (sic) sanctis Caelestino romanae urbis episcopo et Cyrillo alexandrino contradic. et disputationibus breuissimis respondendo XII capitula fidei, quae ad se missa fuerant refellit » f. 39.

Acta ephesini concilii, actione VI, parte II, f. 45 v. — Continent: « Athanasii scissimi epi. Alexandriae ex libro aduersus arrianos » f. 47 — Excerpta ex Athanasio, Iulio pp., Felice pp., Theophilo ep. alexandrino, Cypriano, Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, Basilio, Greg. Nysseno, Attico ep. Constantinopolitano, Iconio, f. 47 v. — « Charisii confessio » f. 50 — « Exemplum expositionis symbuli (sic) transformati. Symbulum Nestorianum » f. 50.

« S. Cyrilli (Alexandrini) apologeticus pro XII anathematismis adversus orientales episcopos » (titulus manu saec. XVII) f. 57.

« Cyrilli episcopi Alexandreae (sic) ad ea quae Theodoretus (Mopsuestenus) contra anathematismos dixit » f. 70.

« Eiusdem Theodoriti (sic) ex praefatione librorum quinque quos aduersum beatum Cyrillo (sic) Alexandrinae ciuitatis antistitem sanctumque concilium ephesenum (sic) a quo Nestorius damnatus est diabolo instigante conscribsit » f. 85.

« Item epistula eiusdem sceleratissimi Theodoriti directa Nestorio iam in exilio pro sua perfidia constituto » f. 87 v.

« Eiusdem Theodori ex epistula quam pro consolatione nestorianorum Constantinopolim destinauit » f. 87 v.

« Item epistula eiusdem Theodoriti quam misit Andreae » f. 88.

« Item eiusdem Theodoriti ad Alexandrum Hierapolitanum » f. 88.

« Eiusdem Theodoriti ex epistula quam direxit Himeriae episcopo Nicomediae » f. 88 v.

« Eiusdem Theodoriti ad Alexandrum Herapolitanum (sic) » f. 88 v.

« Eiusdem Theodoriti ad eundem Alexandrum » f. 88 v.

« Item ex gestis que contra domnum Antiochenum episcopum conscribta sunt » f. 88 v.

« Eiusdem Theodori ex secundo codice libro tertio ante quatuor folia finis libri (sic) »; inc. « *Sed nihil horum prespicere* (sic) *potuit mirabilis peccati originalis assertor* » f. 89 v.

« Eiusdem Theodori ex VIII sermone catacismi (sic) folio VII »; inc. « *Nec enim inquid si duas dicimus in Xpo. naturas* » f. 91.

« Diodori tarsensis episcopi diuidentis deitatem Xpi. ab eius humanitate » (excerpta) f. 91 v.

« Blasphemiae Hibae edessenorum episcopus (sic) » f. 92.

« Eutherii heretici reprehendeuit id (sic) sanctorum patrum doctrinam » f. 92.

« Ad Caelestinum papam Nestorius episcopus constantinopolitanus » f. 93.

« Epistula Synodica Sancti Cyrilli alexandrini episcopi directa Nestorio (etc.) duodecim continens anathematismi capitula » f. 93 v.

« Cyrilli episcopi Alexandriae scholia de incarnatione unigeniti » f. 98.

Pars secunda codicis:

« AUGUSTINI super Genesim libri XII » f. 114.

235. Membr. in 4, miscellaneus, saec. VIII, X et XI, fol. 67.

F. 4-29 saec. VIII.

S. PAULINI nolani libri sex in nat. s. Felicis f. 4.

« Lecti (sic) ex libri (sic) apocalypsis Iohannis »; inc. « *Et factum est proelium in caelo* » f. 29 v.

F. 30-36 recto saec. XI.

S. ALDHELMI de laudibus virginitatis, initio et fine mutilus (a. cap. XII ad finem cap. XXIII), f. 30.

Preces ad benedicendum; inc. « *Per interuentum supernorum ciuium ad gaudia eorum perducat nos omnipotens dominus* » f. 36.

Carmen de ducibus Candido et Nigro; inc. « *(Q)uadam nocte Niger dux nomine Candidus alter* » f. 36.

F. 36 v.-47 saec. X vel XI.

De ratione temporum (tractatus compositus a. 793); inc. « *(D)e temporum ratione domino iuuante dicturi* »; praeit tabula demonstrans flexus digitorum, ad computandum, f. 36 v.

De arte musica; inc. « *(Q)uid est cantus? peritia musicae artis* » etc. f. 38 v.

« Subputatio quam subputauit Esdras in templo Hierusalem »; inc. « *Si in prima feria fuerint kl. Ianuarii hiemps bona erit* » f. 39.

Tabulae lunares astrologicae de nascentibus hominibus, de aegrotantibus, de somniis; inc. « *Luna prima qui natus fuerit vitalis est* » f. 39 v.

Quid significent tonitrua singulis mensibus; inc. « *In mense Ianuario si tonitru fuerit* » f. 40.

« De nativitate infantum »; inc. « *Qui nati fuerint in die dominico hora diurna siue nocturna magni et splendidi erunt* » f. 40.

« De lunae observatione »; inc. « *Luna I omnibus rebus agendis utilis* » f. 40.

Hymnus de s. Iohanne; inc. « *Ut queant laxis resonare fibris* » (priori strophae notae musicae adscriptae) f. 41 v.

Sermo de genere Salvatoris; inc. « *Dominus et saluator noster de quo genere natus sit pro nostra salute* » f. 42.

« Versus de festivitatibus sanctorum » (i. e. kalendarium metricum); inc. « *Bissena mensium uertigine uoluitur annus* » f. 43.

« Festa sanctorum XII apostolorum »; inc. « *De sancto Petro — Simon qui interpretatur obediens Petrus* » f. 43 v.

« Oratio contra frigores; inc. « *Crux Christi et qui pendebat in cruce liberet* (sic) *te N. de frigoribus biduanis siue triduanis* » etc. f. 44.

« De VII diebus et de ebdomadis »; inc. « *Verum igitur gentiles cum obseruationem a populo israel ebdomadis ediscerent* » f. 45.

« Interpretatio (vocabuli) all(eluia) » — « Expositio super dominicam orationem »; inc. « *Quot peticiones habentur in oratione dominica?* » f. 46.

« Ordo VIIII (de indumentis) qualiter sacerdos ad missam eis induatur »; inc. « *Primum ergo episcoporum uel aliorum sacerdotum indumentum* » f. 46 v.

« De sacramentis aeclesiae (sic) »; inc. « *Sunt autem sacramenta ecclesiae* » etc. f. 47.

« Ordo et celebratio misse qualiter apud romanos agitur » fine mut.; inc. « *Primum enim in celebratione misse ad introitum sacerdotis ad altare antiphona cantatur a clero* » f. 47 v.

« Glosemata de Prudentio », fine mutila, manu saec. X; inc. « *Illustrium. Nobilium uel clarorum* » f. 48.

F. 62-67 recto saec. XI.

« De kalendis nonis idibus ac diebus XII mensium » (i. e. tractatus de kalendario et de computo paschali); inc. « *Ianuarius Augustus et December IIII nonas habent* » f. 62.

« In sancti Baptistae Christi preconis », hymnus cum notis musicis; inc. « *Sollemnia celebrantes moribus ipsum sequamur* » f. 67 v.

Laterculum sanctorum (mensium Sept. Oct. et Nov.) e kalendario, manu saec. XII, f. 67 v.

236. Membr. in 4, saec. X, fol. 53.

« S. Prosperi (Aquitani) de vocatione omnium gentium » libri duo. Praeit somnium vel visio in ecclesia s. Nazarii in Laurissa; inc. « *Hoc uero somnium uel certa internorum uisio oculorum* ».

237. Membr. in 8, saec. IX, fol. 90.

S. Prosperi Aquitani « liber promissionum et praedictionum dei ».

238. Membr. in 8, saec. IX, fol. 75.

« Prosperi de vita contemplativa libri tres » f. 4.

Vetus Martyrologium (vulgo Hieronymianum), ab VIII kal. Ian. ad prid. k. Febr. imperfectum (et etiam mutilum a III non. Ian. usque ad VI k. Febr.), f. 75 et 1-2, quae in nova compactione codicis extremo loco posita sunt.

239. Membr. in 4, saec. IX vel X, fol. 21.

« Prosperi exhortatio ad uxorem » f. 1.

« Sententiae generales in singulis uersibus »; inc. « *Utilibus monitis prudens adcommodet aures* » f. 3; sequuntur sententiae breves, ord. alphabetico, usque ad litt. L, absque nomine auctoris; A. Maius adnotavit esse Publilii Syri.

« SANCTI ESIDORI episc. iunioris liber cronicorum (sic) », cum nonnullis adnotationibus in marginibus manu saec. XIV, f. 6 v.

240. Membr. in 8, saec. X vel XI, fol. 64.

TRITHEMII abb. de Claudio Mamerto ep. viennensi, manu s. XVI, f. 1.
« Opus ad baptizando (sic) »; inc. « *Praefacio antequam exorcidietur . Auctorem ac reparatorem* » etc. f. 70.

« Missa in uigilia Paschae »; inc. « *Praefacio . Omnipotens sempiterne ds. qui hanc sacratissimam noctem* » etc. f. 75 v.

« Missa in die sanctum (sic) Paschae »; inc. « *Pre(fatio). Ds. qui per unigenitum tuum* » f. 78.

« Missa paschalis »; inc. « *Prae(fatio). Ds. qui paschalium nobis remedia contulisti* » f. 80.

« Item missa III . feria paschales (sic) »; inc. « *Praefacio. Ds. qui multiplecas* (sic) » f. 81 v.

« Missa paschalis IIII . feria »; inc. « *Ds. qui populum tuum sacro iordane flumine transacto fecisti promissionis intrare* » etc. f. 83 v.

« Item missa V . feria »; inc. « *Fac misericors ds. ut quod paschalibus celebramus officiis* » f. 85.

« Item missa paschalis . VI . Feria »; inc. « *Ds. qui per unigenitum tuum* » f. 87.

« Missa matutinalis per totam pascham pro paruolos (sic) . qui renati sunt maturae (sic) dicenda »; inc. « *Ds. qui credentes in te populos graciae tuae largitate multiplecas* (sic) » f. 89.

« Missa in Pascha die Sabbati »; inc. « *Ds. qui nos resurrectionis dominicae sollempnitate laetificas* » f. 90.

« Missa clause Pas(chae) »; inc. « *Concede quesumus omnipotens ds. ut qui resurrectionis dominicae solemnia colemus* » f. 92.

« Missa dominicalis post pascha »; inc. « *Praefacio. Ds. qui in filii tui humilitatem iacentem mundum erexisti* » f. 95.

« Missa post Pascha ante ascensa (sic) dni. »; inc. « *Ds. qui hoc nobis conferis gracia tua* » f. 96.

« Incipiunt collectiones in rogationibus per diuersa loca scorum. »; inc. « *Nunc in sco. Petro - Omnipotens sempiternae* (sic) *ds. qui beato petro apostolo* » etc. f. 97. — Sequuntur: « in sco. Stefano », « in sco. Martino », « in sco. Gregorio », « in quo loco uolueris ».

« Incipit missa in rogationibus »; inc. « *Memores caelestium praeceptorum peccata nostra coram domino defleamus* » f. 98 v. — Fine caret.

Folia 100-106 litteris minusculis:

Nomina germanica duabus columnis disposita f. 100 v.; prior columna initio mutila inc.

« . . . . . . *(I)II* .
. . . . *ot* . *III* .
. . . . *r* . *III* .
eren . . . t . *III* .
adalhelm . *III* .
marcsint . *III* . »

« Incp. decretalem (sic) sci. Gelasii pap. urbis romae » (de libris recipiendis vel non recipiendis) f. 101 v. « Incipiunt opuscula recipienda » f. 102 v.

(Parabola, alia manu); inc. « *Audite uersus parabule quod quonnon* (sic) *puero con(ti)git* » f. 106 v.

494. Membr. in 8, forma oblonga, saec. XI, fol. 76.

« Inicium sancti evang. secundum Matheum » f. 3. — « Inicium sancti evang. secundum Iohannem » f. 4 v. — Excerptum ex ev. s. Matthaei (c. V, v. 1-12) f. 6.

Missa in nativitate domini, cum toto canone romano, f. 9.

Missae « In natal. sci. Stephani » f. 17 v. — « De sco. Iohanne » f. 18 v. — « In natl. Innocentum » f. 20, — In « Dominica » f. 21 v. — « In octaua dni. » f. 22 v. — « In epiphania dni. » f. 23, — « Scor. Fabiani Sebastiani (sic) » f. 25, — In « Yppapanti (sic) »; inest « Benedictio cerei », f. 26, — « Die dom. in palmis » et « benedictio Palmarum » f. 28 v.

« Benedictio caerei (sic) in (Sabbato) sco. », cum neumis, f. 31. — Sequuntur tota liturgia paschalis, item cum neumis, et ordo baptismatis.

Missae in « Natl. applorum. Phylippi . et Iacobi » f. 44, — In « Natl. scor. Alexandri Eventii Theodoli » f. 45, — In « Inventio(ne) sce. Crucis »

f. 45 v. — « De sco. confes. Xpi. Phylippo » f. 47, — « In ascensione dni. » f. 48, — « In die dominico Pentecosten » f. 50; sequuntur feriae secunda, tertia, quarta, quinta et dominica, — In « Natal. sci. Iohannis Bapt. » f. 54 v. — « In natale aplorum. Petri Pauli (sic) » f. 56, — « Eodem die sci. Pauli apli. » f. 57 v. — In nat. « Sci. Laurentii » f. 58, — In « Adsumptio(ne) scae. Mariae » f. 59 v. — In « Nativita(te) scae. Mariae » f. 61, — « In dedicatione ecclae. sci. Michahelis (sic) arc. » f. 62 v. — In « Natl. sci. Remigii » f. 63 v. — « In festiuitate omnium scorum. » f. 64, — « In natal. sci. Permini » f. 65 v. — In « Natl. sci. Martini » f. 66 v. — In nat. « sci. Andree apli. » f. 68, — « In anniversario » (dedicationis ecclesiae) f. 69 v.

« Oratio in cena dni. ad reconciliationem faciendum (sic) » f. 71 v. — Sequuntur aliae orationes.

« In natl. sci. Phylippi cf. (i. e. confessoris) Eodem die invent. sce. Crucis », missae, f. 74 v.

Nomina germanica, alia manu; inc. « *Liubburc Rihsuint* » f. 75 v.

Instrumentum venditionis vineae, sitae « in marca Gozenesheim cognomine Kelewere », factae a Gezone, emptore Gerhardto, super altare s. Philippi, alia manu, f. 76.

495. Membr. in 4, saec. X, fol. *a-p* 289.

Tabula capitulorum codicis f. *a-p* chartaceis saec. XVII.

Fragmentum ordinis missae; rubrica ultima: « or. quando oblatae superponuntur altari », f. 1.

« Liber sacramentorum de circulo anni a sco. Gregorio papa romano editus . qualiter missa romana celebratur. Hoc est in primis introitus qualis fuerit statutis temporibus. Siue diebus festis. Seu cottidianis. Deinde Kyrieleison. Item dicitur gloria in excelsis do. » etc. f. 1 v.

« Vigesimus secundus tertius quartus et quintus circulus dionysianus », i. e. tabulae epactarum et lunares ab anno 934 ad a. 1006, cum adnotationibus necrologicis et historicis in marginibus, f. 279 v.

« Oratio sacerdotis ante celebrationem misse »; inc. « *Ante oculos tuos dne. reus conscientiae testis assisto* » f. 281 v.

Appendix ad librum de ecclesiastico officio; inc. « *Postquam scripsi libellum qui a mea paruitate uocatur de ecclesiastico officio . ueni Romam* » etc. f. 282.

Preces variae excerptae ex missis pro defunctis feminis; pro monasterio s. Nazarii (in Laurissa), pro s. Udalrico, in vigilia s. Laurentii martyris, f. 287.

Nomina germanica scripta in marginibus: « *Egelat. Aba. Otacar.* » etc. f. 288 v. — « *Nordiloh. Herifrit.* » etc. f. 289 v.

496. Membr. in 4, saec. XII vel XIII, fol. *a* 62; picturis illustratus.

Missa « De sca. Katherina » f. *a* v. manu saec. XIII, adhibito in compactione codicis. — Praeeunt nomina germanica; inc. « *Otto Herman* ».

Hymni de festis domini et sanctorum; inc. « *In primo galli cantu. Grates nunc oms. canamus dno. do. qui sua natiuitate nos liberauit de diabolica potestate* » f. 1. — Benedictiones salis, aquae et cinerum f. 5 v.

Missale ritu romano, (insunt missae de s. Lamberto, s. Gallo et s. Othmaro), cum notis musicis in praefatione, f. 6 v. (Imago crucifixi f. 9 v.). — Inter f. 23 et 24 folia aliquot perierunt.

Hymnus de b. Virgine; inc. « *Ave praeclara maris stella* », f. 61.

Preces « in dedicatione unius altaris » f. 61.

In calce codicis adnotatio, alia manu: « *C(onradus?) di. gra. erbipolensis episcopus* », et — Preces varia manu, f. 61 v.

497. Membr. in 4, saec. XII, fol. *a* 111; picturis illustratus.

Lectionarium epistolarum missae ex Vetere et Novo Testamento, per anni circulum; inc. « *L(ectio) esaye prophetae . in uig. natalis domini - Hec dicit dominus* » f. 1.

Adnotationes historicae quatuor, manu « W. Erss. » scholaris, prioris monasterii Luxensis, de rebus eiusdem monast. ab anno 1440 ad 1503; prima de obitu Folmari, a. 1111, fundatoris monasterii; — Adnotationes duae de eod. argumento, facile eadem manu, f. 111.

498. Chart. in 4, saec. XV, fol. *a* 52.

Interpretationes vocum quarumdam, metrice; inc. « *Arte poetria fungor . dum fingo poema || ipse poeta vocor mea fictio dicta poesis* » f. *a* v.

Canon missae, cum glossis, f. 1 v.

« Collecte per circulum anni », item cum glossis, scr. anno 1482, f. 5.

499. Membr. in 4, saec. XI, fol. 137; picturis illustratus.

Missae « in venerat(ionem) » « s. Mariae (e)t omnium sanctorum », et « in nat. sci. Egidii epi. et confessoris » f. 1.

Kalendarium, adscripto necrologio alia manu saec. circiter XII, f. 2.

Preces liturgicae antiquissimae; inc. « *(D)omine deus omnipotens qui saluos facit sperantes in te exaudi propicius preces populi tui et respice captiuorum gemitus* » etc. f. 8.

Missa de Annuntiatione b. Virginis, cum notis musicis, manu saec. XIII, f. 8 v.

Missale ritu romano f. 9.

500. Membr. in 4, scriptus a. 1314, fol. 185.

« Ordo missalis fratrum ordinis sancti Augustini secundum con suetudinem Romane curie » f. 1. — Sequuntur, alia manu saec. XV:

Missa « de XV^{cim} adiutoribus pro quacumque tribulacione dicenda 1466 » f. 184.

Missae « in anniuersario defunct. » et de s. Nicolao f. 184.

501. Membr. in f. saec. XV, fol. 280; picturis illustratus.

Kalendarium f. 1.

Missale ritu romano, ad usum alicuius ecclesiae germanicae, cum notis musicis, f. 7.

« Euangelium compositum per dominum Iohannem papam XXII apud Auinionem tercio die ante decessum suum, pro quo concessit omnibus illud dicentibus vel audientibus uere confessis et contritis trescentos dies indulgencie » f. 280.

502. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 171.

Lectionarium missae; inc. « *Do. prima in aduentu domini - Ad te leuaui animam. Ad Romanos* ». Cum notis musicis. — Interioribus tegumentis codicis appictae sunt tabulae xylographicae; coloribus illitae, imagines D. N. Crucifixi et M. Virginis puerum I. Chr. lactantis exhibentes.

503. Membr. in f. saec. XIV, fol. 88.

Missale initio et fine mutilum. Initio perierunt folia decem. Inter folia 80 et 81 unum desideratur. Incipit codex a missa mutila s. Stephani; ultima missa est in octava corporis Christi.

504. Membr. in f. saec. XIV, fol. 356; picturis multis illustratus.

« Ordo missalis secundum consuetudidem romane curie » f. 12, praemissis monito: « (H)aec ante missam cogita » etc. f. 5, et Kalendario, f. 6. — Foliis 1-4 initium eiusdem codicis, a librario condemnatum, quod deinde iteravit. — Liber est fine mutilus; missa ultima: « Alia pro defunctis ».

505. Membr. in f. saec. XIV vel XV, fol. 322.

« Ordo missalis fratrum seruorum sancte Marie secundum consuetudinem Romane curie ». — F. 321-322 additamenta manu varia saec. XV; inest « Missa de quinque uulneribus passionis Xi. » quam « edidit Bonifatius pp. (etc.) ex reuelatione diuina » f. 321 v.

506. Membr. in f. saec. XIV, fol. *a-b* 249; picturis illustratus.

Decretum institutionis festi Corporis Christi, et de eodem festo ad vesperum oratio prima, f. *a-b*. Prima pagina, recenti charta obducta, legi nequit.

« Missale yemale et estiuum ambrosianum ad honorem beati Maurilii » f. 1, interposito, f. 239-241, kalendario cum necrologio mediolanensi. — Aliquot folia desiderantur post f. 238.

Tabula missarum huius codicis, imperfecta, f. 248.

Adnotationes, varia manu saec. XIV et XV, de rebus mediolanensibus f. 248v.

507. Membr. in 8, saec. XIV vel XV, fol. 36.

Missae de Spiritu Sancto, de s. Trinitate, de b. Virgine et pro defunctis.

508. Membr. in 12, saec. XIII vel XIV, fol. 270.

Missale romanum. Foliis ultimis, additamenta manu varia saec. XIV et XV.

509. Membr. in 12, saec. XIV, fol. 249; picturis illustratus.

Missale romanum. — Praeit kalendarium, cum adnotationibus historicis saec. XV et necrologio heidelbergensi saec. XVI. — Insunt benedictiones agni, lardi, casei, ovorum, « ad omnia », herbarum, alia manu saec. XV, f. 237. — Praefationes missae, cum notis musicis, et orationes, varia manu saec. XV, f. 242.

510. Membr. in 8, saec. XI, fol. 246.

Lectiones per anni circulum, ex Vetere et Novo Testamento; inc. « *Lectio . ep. be. P. ad Romanos . Paulus* ». etc. — Quaedam desiderantur inter f. 31 et 32.

Laudes divinae, cum notis musicis, manu saec. XII; inc. « *Benedictus es domine deus patrum nostrorum* » etc. f. 246.

Adnotationes de rebus domesticis ignoti hominis, a. 1398-1399, et de calamitatibus a. 1398, f. 246.

511. Membr. in 8, saec. XV, fol. 60.

Antiphonale, cum notis musicis, ad usum ordinis s. Dominici.

512. Chart. in f. saec. XVI, fol. *a-b* 38.

Officia quintae magnae feriae, « in die parasceues », et « sabato » (sancto).

513. Membr. in f. scriptus anno 1454, fol. 345; picturis illustratus.
« Ordo de festiuitatibus sanctorum per circulum anni peragendis », « secundum chorum sancti Kyliani », i. e. Breviarium divini officii per annum.

514. Chart. in f. saec. XV, fol. 239.
Breviarii, « secundum ordinem et ecclesiam Spyrensem », « pars estiualis » (a Paschate). — Praeeunt: Officium « de beata virgine Maria infra Pascha et ascensionem domini » imperfectum, f. 1, — Kalendarium, cum adnotatione historica, f. 2, — « Hystoria (officium) de festo transfigurationis domini » f. 9. — Inest, f. 107, Officium « in commemoracionem beate Marie virg. a dominica deus omnium usque aduentum domini ».

Officium « de compassione beate Marie virginis » f. 236.

Oratio dominicalis, cum paraphrasi, f. 239.

515. Membr. in 8, saec. XV, fol. 153.
Breviarii divini officii pars hiemalis.

516. Partim membr. partim chart. in 8, saec. XV, fol. 302.
Breviarii divini officii « pars Estiualis », cum kalendario. — Praeeunt, alia manu, f. 1-2, « Suffragia ad matutinum » et « ad uesperum », et benedictiones panis, ovorum, lardi, casei, « ad omnia ». — F. 297-300 scriptura est deleta, superinductis alia manu lectionibus de s. Andrea. — F. 135 inserta est scheda cum adnotatione lingua germanica inscripta: « Nota contra calculum ».

Tabula astronomica epactarum etc. f. 30 v.

(S. Thomae Aquinatis) « Ymnus » de verbo incarnato (ex off. ss. Corporis Christi), alia manu; inc. « *Verbum supernum prodiens nec patris linquens dexteram ad opus suum exiens venit ad vite vespera* » f. 302.

517. Chart. insertis foliis aliquot membr. in 8, scriptus anno 1478, fol. 541; picturis illustratus.
« Materia meditandi per Ebdomadam » f. 1.

Absolutiones et benedictiones f. 2.

Versiculi inscripti: « Turcus pontifici romano », et « Pontifex romanus Turco »; inc. « *Et fata manent stelleque docent auiumque uolatus* », in calce f. 2.

Kalendarium, cum necrologio, f. 3.

« Hec tabula deseruit hystoriis (i. e. lectionibus) infra scriptis imponendis », f. 15 v. — « Distributio librorum in Augusto - in Septembri - in Octobri - in mense Nouembri » et tempore adventus f. 16.

Breviarium ad usum monasterii s. Udalrici in Augusta, cum adnotationibus historicis, epitaphiis, carminibus ad idem monasterium pertinentibus, varia recentiore manu, f. 12. — Inest bulla Alexandri p. VI ad abb. et conv. ss. Udalrici et Afrae: *Volentes animarum*, dat. d. 25 Sept. a. 1496.

« De forma absolucionis Iubilei » f. 539.

« Tabula invitatoriorum » f. 540.

« Rosarium gloriosissime virginis Marie » f. 541.

518. Partim chart. et partim membr. in 8, saec. XV, fol. 224.

Breviarii divini officii pars hiemalis, praemisso kalendario. — « Pars estiualis de sanctis » f. 175. — Hymni de tempore et de sanctis f. 186 v. — Commune sanctorum f. 190.

519. Chart. in 8, saec. XV, fol. 332.

Breviarii divini officii pars hiemalis. — Praeeunt « benedictiones » et kalendarium. — « De sanctis pars hyemalis » f. 217. — « Commune sanctorum secundum chorum wormaciensem » f. 298 v.

520. Chart. in 8, saec. XV, fol. 370.

« Effectus granorum Iuniperi », carmen rhythmicum; inc. « *Iuniperi grana omni tempore sunt sana* »; — « Documenta Aristotilis (sic) Regi Alexandro missa »; inc. « *Cela secreta . Loquere pauca. Verax esto* » f. 1.

Adnotatio historica, manu saec. XVI; inc. « *Cecidit infelix franciscus fragmius anno Xpi. 1523* », continuatur lingua germanica, f. 1 v.

« Nocturnale per circulum anni, secundum ordinem ecclesie Wormaciensis », praemissó kalendario, cum necrologio et adnotationibus historicis, manu saec. XV et XVI, de bellis in Germania gestis saec. XV, et de rebus ecclesiae s. Spiritus Heidelbergae. — « Commune sanctorum » f. 360. — « Exorcismus salis » et « exorcismus aque » f. 365. — Benedictiones « Agni Paschalis », « Carnium », « casei », « ouorum », « panis » « ad omnia », « lardi » f. 366. — « Benedictio amoris Iohannis euangeliste », (i. e. bened. vini), f. 366 v. finem quaere f. 366.

« De Gloria in excelsis et ite missa est »; — « De Credo in speciali »; — « De prefationibus »; — « Quando communicantes dicitur » f. 368 v.

« Hec festa celebrantur et sub praecepto mandantur ex processibus synodalibus datis a. (14)79 et (14)80 » f. 370 v.

521-522. Membranacei in 8, saec. XV.

521. fol. 112. — « Registrum horarum Canonicarum partis yemalis ordinationis dni. Reinhardi epi. wormatiensis », i. e. breviarium de tempore et de sanctis.

522. fol. 61. — « Breuiarium siue Registrum horarum canonicalium partis estivalis secundum ecclesiam wormaciensem », de tempore et de sanctis.

523. Partim chart. et partim membr. in 12, saec. XV, fol. 404.

Breviarium divini officii. — Praeeunt, f. 1, officium de passione domini, f. 2, « historia (officium) de b. Virgine » et f. 6v. kalendarium.

524 Partim chart. et partim membr. in 12, scriptus anno 1452, fol. 376. In duas partes divisus: prima a f. 1 ad 184, secunda a f. 185 ad 376.

Benedictiones ad matutinum f. 1v. — Kalendarium f. 2. — « Preces maiores in quadragesima in matutinis et in vesperis » f. 8. — « Preces minores » f. 11. — « Preces ad quindecim gradus qui dicuntur post terciam regulariter » f. 11 v.

(Breviarii divini officii) « pars hyemalis secundum ordinem Wormaciensem » f. 13.

« Hystoria (officium) de praesentacione beate Marie virg. » f. 364 v. — Sequitur « Missa praesentacionis » b. M. v. f. 370v.

« Lectiones in conceptione » b. M. v. f. 371 v.

Officium s. « Mauri abbatis » f. 385.

525. Membr. in 16, saec. XV, fol. 486. In duas partes divisus: prima a f. 1 ad 237, altera a f. 238 ad 486.

Benedictiones et preces f. 1. — Kalendarium et tabulae temporum, ab a. 1420 ad a. 1472, f. 2. — Litaniae ss. et preces f. 11.

Psalterium, scr. anno 1433, f. 15.

« Preces maiores et minores » f. 100.

« Libellus matutinalis siue breuiarium secundum Chorum et modum maioris Ecclesie ... » (nomen ecclesiae abrasum) f. 106.

526. Chart. in 12, scriptus anno 1440, fol. 141.

Breviarii divini officii pars hiemalis, cum kalendario.

527. Membr. praeter folia aliquot chart. in 12, saec. XIV, fol. 142.

Breviarii divini officii pars aestiva, fine mutila.

528. Chart. in 12, saec. XV, fol. 61.

Breviarii divini officii « Commune sanctorum ».

529. Partim membr. partim chart. miscellaneus in 16, saec. XIV et XV, fol. 121.

Folia 1-76 manu saec. XIV:

Breviarii divini officii Commune sanctorum et diurnale f. 1. — Inter f. 54 et 55 unum aut alterum folium periit.

Folia 78-121 manu saec. XV:

Psalmi poenitentiales et officium mortuorum f. 78.

Initium evangelii et passio D. N. I. Chr. secundum Ioannem f. 107.

Orationes ad D. N. I. Christum f. 115 v.

530-531. Chartacei in 12, scripti annis 1514-1515.

530. fol. 133. — Diurnale, a laudibus ferialibus feriae secundae f. 1. — Septem psalmi poenitentiales et litaniae sanctorum f. 55. — Preces minores f. 60. — Commune sanctorum secundum ecclesiam Wormatiensem; in calce adnotatur: « compleui sabbat. 23 decembris 1514 », f. 63. — « Diurnale sec. ordinem ecclesie Wormaciensis » (de tempore) f. 78 v. — Proprium sanctorum, pars hiemalis, scr. a. 1515, f. 113.

Adnotationes imperfectae de apostolis f. 135 v.

531. fol. 179. — Kalendarium f. 1. — Diurnale de tempore f. 5. — « Diurnale Estiuale sanctorum », i. e. Proprium ss. f. 44 v. — « Diurnale dominicum » et Commune sanctorum, pars aestivalis, f. 121.

532. Membr. in 16, saec. XV, fol 195.

Orationes pro vivis et defunctis, et ad b. Virginem, f. 1 et 2 (f. 2 quaere post f. 14).

Kalendarium f. 3. — Hymni duo de tempore f. 15. — Psalterium et Commune de tempore f. 16 v.

« Penitencialis » (psalmus) f. 175. — « Sabbato et ad uesperas psalmi et antiphone » f. 175 v. — « Capitula de dominica post octauam Pentecostes usque ad aduentum Domini » f. 179. — Cantica trium Puerorum, Symeonis etc. et Litaniae f. 188. — Folia 134-136, sua sede mota, quaere in fine codicis, initio et post f. 14. Codex fine mutilus.

533. Membr. in 16, saec. XV, fol. 54.

Ordo diurnalis officii divini.

534. Membr. in 16, saec. XV, fol. *a* 65.

Kalendarium f. 1.

Psalmi poenitentiales sub titulo: « ordo acollitatus etc. », scr. anno 1456, f. 13.

Orationes ad b. Virginem, de s. Thoma, de proprio angelo, de s. Barbara, f. 48.

« Versus reuelati beato Bernhardo a dyabolo ut qui eos quottidie deuote dixerit non dampnabitur » f. 48.

Preces aliae varia manu f. 52.

535. Chart. in 12, saec. XV, fol. 153, (chartae scriptae: 1-100, 105-124, 141).

« Cursus (officium) de passione Xpi. » f. 1.

« Versus psalterii quos dyabolus reuelauit s. Berhardo » etc. f. 18.

Interpretatio vocis italicae *carina*; inc. « *Carina vulgare est italicorum* » f. 22 v.

« Cursus (officium) de compassione » b. Virginis f. 23.

« Preces pro quadragesima » f. 35.

« Vigilie defunctorum » f. 105.

Oratio ad b. Virginem f. 141.

536. Membr. miscellaneus in 12, saec. XV, fol. 108.

Officium s. Crucis, fine mutilum, f. 1.

Sermones tres de verbis Ezechielis: « Quatuor facies uni . IIII^{or} . penne uni », Evangelii: « Qui manducat carnem meam » et Psalmi: « Cor mundum crea in me deus »; primus inc. « *Quia spiritualia et inuisibilia nobis ignota sunt* » f. 28.

« Speculum conscientie »; prologus inc. « *Multe sunt scientie hominum sed nulla melior illa qua cognoscit homo deum et seipsum* » f. 32. — Epilogus de fructibus divinae incarnationis, de nativitate Christi et de conscientia; inc. « *Amisimus per peccatum propriam excellenciam* » f. 104.

Excerptum ex s. Bernardo; inc. « *Sicut multitudo fratrum ut errata corrigat* » etc. f. 107 v.

537. Membr. in 8, saec. XV, fol. 223; picturis illustratus.

De institutione horarum canonicarum et eiusdem utilitate, lingua germanica, manu saec. XVI, f. 1.

Horae canonicae, antiphonae et orationes de sanctis, cum kalendario.

538. Membr. in 12, saec. XV, fol. *a* 204; picturis illustratus.

Kalendarium f. 2. — Praeeunt, alia manu, versus rhythmici de horis canonicis in honorem passionis domini, et preces variae; sequuntur preces aliae ad b. Petrum de « Lucemburgo » et ad b. Virginem.

Officium breve s. Crucis f. 9. — Officia b. Virginis f. 11, — Defunctorum f. 66, — S. Spiritus f. 103, — S. Crucis f. 124.

Psalmi poenitentiales, litaniae maiores, et preces ad Deum, ad b. Virginem, angelos et sanctos, (rubricae saepe lingua gallica) f. 146.

Oratio ad b. Virginem, gallica lingua, alia manu, f. 201 v.

539. Membr. in 12, saec. XIII et XV, fol. 132.

« Cursus (officium) s. Marie », cum orationibus de sanctis, f. 1 v.

« VII Psalmi » et officium defunctorum f. 59.

« Minus psalterium » f. 103.

Officium b. Virginis, manu saec. XV, f. 118.

540. Membr. in 12, saec. XV, fol. 270; picturis illustratus.

Kalendarium f. 1 v.

« Officium b. Marie secundum ordinem curie romane » f. 8.

Psalmi poenitentiales, litaniae ss. et officium defunctorum f. 64 v.

« Officium beate Marie de compassione filii sui quam habuit de eo in hora mortis sue » f. 120.

« Hore sancte Crucis » f. 143 v.

« Matutine omnium sanctorum » f. 175 v.

Orationes et antiphonae de sanctis « Margareta », « Anthonio », Anna, Georgio, « Petro de Luzemburc » f. 196. — Insunt, f. 198, orationes pro defunctis etc. et, f. 202, « septem gaudia virginis Marie celestia a beato Thoma martyre composita ».

« S. Ieronimi psalterium abreviatum » f. 206. — Sequuntur orationes de passione domini, ad b. Virginem etc.

541. Membr. in 8, saec. XIV, fol. 40.

Officium beatae Virginis f. 1.

« Opusculum » de scientiis animarum separatarum et de earum orationibus et suffragiis; inc. « *Opusculum hoc duabus particulis distinguitur* » f. 28.

542. Chart. in 16, saec. XV, fol. *a* 117.

« Cursus » (officium) b. Mariae Virginis f. 1.

Officium mortuorum f. 47. — Sequuntur, alia manu saec. XV vel XVI, preces ad Deum, b. Virginem, et sanctos variae, septem psalmi poenitentiales, cum litaniis sanctorum, et orationes s. Birgittae, s. Augustini etc.

Folia *a* et 117 membr. adhibita in compactione codicis, fragmenta exhibent psalterii saec. IX vel X.

543. Chart. in 16, saec. XV, fol. 47.

Officium defunctorum cum psalmis poenitentialibus et litaniis sanctorum.

544. Membr. in 12, saec. XV, fol. 92; picturis illustratus.

Officium defunctorum, cum psalmis poenitentialibus et letaniis sanctorum.

545. Membr. in 12, saec. XV, fol. 40.

Orationes variae, psalmi pro defunctis et litaniae sanctorum. — Initio: « Ein gůt warheit », i. e. narratio, lingua germanica, de efficacia precum pro defunctis; inc. « *Es was ain fraw in ainem chloster* » — « Das sint die sieben fraewd » (beatae Mariae Virginis), item lingua germanica; inc. « *O Maria saelden fruht* » f. 39 v.

546. Membr. (folia ultima chartacea) in 12, saec. XV, fol. 214.

« Cursus (officium) beate Marie virginis », commemorationes « de sanctis », officium defunctorum, benedictiones et orationes pro obtinendis indulgentiis a pontificibus Pio II et Eugenio IV largitis.

Fragmentum, lingua germanica, adhibitum in compactione codicis, f. 214.

547. Chart. in 8, saec. XV, fol. 155.

Officium b. Virginis per annum f. 1.

Breviarii divini officii « pars estivalis » f. 13. — Proprium sanctorum hiemale f. 92 v. — « Commune sanctorum » f. 129.

548. Membr. in 8, saec. XV, fol. 75.

Hymnus « Stabat Mater » f. 1.

Preces variae f. 2.

Oratio ad s. Bartholomaeum apost. f. 59 v.

« Cursus (officium) de passione domini » f. 60.

549. Membr. in 12, saec. XV, fol. *a* 34.

Orationes varia manu ad deum et b. Virginem, lingua gallica. — Sequuntur Preces de passione domini, psalmi poenitentiales, orationes de sanctis etc. latine et gallice.

550. Membr. in 12, saec. IX, fol. 24.

Ordo precum in depositione mortuorum, initio et fine mutilus. (« Orationes in ipsa Lauatione quae semper dici debent » f. 3v. seqq. incipiunt: « *Suscipe dne. animam serui tui . reuertentem ad te uestem caelestem indue* »).

551. Partim membr. et partim chart. in 12, scriptus anno 1447, fol. 48.

« Orationes per totam ebdomadam » f. 1.

Hymnus de Veronica; inc. « *Salue sancta facies mei redemptoris* » f. 48. Pictura imaginem ipsam exhibens f. 48v.

552. Chart. in 12, saec. XV, fol. 120.

Responsoria cum notis musicis. — Foliis 113-116 insertae sunt, varia manu, preces, etiam germanica lingua.

553. Chart. in 12, saec. XVI, fol. 110.

Responsoria cum notis musicis.

554. Membr. miscellaneus in 4, saec. IX, fol. 13.

Fragmentum « defensionis » librorum « patris nostri Theodori » (episcopi cantuariensis) « et maxime libelli penitentiae » (titulus ex ipsis verbis fragmenti desumptus) f. 1.

Excerpta de poenitentia, baptismate et continentia, in codice adtributa Augustino, Basilio, Hieronymo; item ex Gregorio « ad Leandrum Spolitane (sic) urbis episcopum » et « ex IIII moraliorum (sic) libro »; inc. « *Paenitentia desperatae salutis remedium esse nemo qui nesciat dilectissimi in domino* » f. 2.

« Domni Egberti archiepisc. eburacen(sis) » poenitentiale; inc. « *Institutio illa sancta quae fiebat in diebus* » etc. f. 5.

« Item » (aliud poenitentiale breve); inc. « *Pro ebdom. CCC psalm. flectendo genua* » f. 12.

« Ammonitio Bedae », (i. e. poenitentiale); inc. « *Si quis uoluerit diuino amore ammonitus cum lacrimis deo confiteri peccata sua* » f. 13.

555. Membr. in 8, forma oblonga, saec. IX vel X, fol. *a-b* 40.

« Hymnus in festivitate scae. Mariae »; inc. « *Quem terra pontus ethera colunt* » f. *a*.

« Item alius » (hymnus) de virginibus; inc. « *Ihu. corona uirginum* » f. *a* v.

« CHRODEGANGI episcopi metensis statuta Monachorum facta tempore Pipini regis » (titulus manu saec. XV) f. 1.

Interrogationes faciendae ad confitentem, lingua germanica; inc. « *Quisquis tibi uoluerit confessionem facere sinceriter interroga illum* », alia manu paulo recentiore, f. 40 v.

556. Membr. in 8, saec. IX vel X, fol. 47.

« SCI. BASILII ep. liber » « de spirituali militia » (verba haec ultima manu saec. XV); inc. « *Audi fili ammonitionem patris tui et inclina aurem tuam ad uerba mea* » f. 1.

Homiliae XVIII, seu excerpta inscripta:

« Sci. Augustini epi. »; inc. « *Hodiae* (sic) *natus est dns. noster ihs. filius dei uiui qui est* » etc. f. 13.

« Omelia sci. Augustini epi. »; inc. « *O frs. dilectissimi faciamus bonum* », des. « *Monachi autem sci. et scae. uirginis* (sic) *et omnes sci. ac fidelis* (sic) *cum Xpo. regnabunt* » etc. f. 13 v.

« Gloria tibi (titulus hic aliique f. 19, 23, 28, facile ultima verba sunt homiliar. praecc.) »; inc. « *Ephiphania* (sic) *enim grece dicitur quod est apparatio* (sic) » etc. f. 16.

« Bono animo »; inc. « *Non timet qui non timet tres saltus regis immo omnis hominis* » f. 19.

(Sine titulo); inc. « *Magnum uero sacramentum quod nobis a deo per Xpm. donatum est qui non solum discendit* (sic) *de caelo* » f. 20.

« Sci. Augustini epi. »; inc. « *O frs. dilectissimi magna indignatio* (sic) *est qua nos Xps. dignatus est adsumere* » etc. f. 20 v.

« Sci. Augustini epi. »; inc. « *O frs. dilectissimi oportet nos renouari in meliora* » f. 22.

« In finem scli. (i. e. saeculi) »; inc. « *Oremus dnm. ne audiamus illud quod dicitur in euangelio* » etc. f. 23.

« Sci. Augustini »; inc. « *Penticosten hodiae caelebratur* (sic in omnibus) *in nobis* » f. 24.

« Omelia sci. Augustini »; inc. « *O fratres dilectissimi praeparamus nobis cor nouum* » f. 25.

(Sine titulo); inc. « *O frs. dilectissimi timendus est ille* (sic) *quo dns. proposuit uenire cum flamma ignis* » f. 26.

« Mirabilis est »; inc. « *Septem speciem* (sic) *in monasterio quae necessaria sunt esse diligenter custodire* » f. 28.

(Sine titulo); inc. « *Vos enim frs. sine titulo, in libertatem uocati estis* » f. 28 v.

(Sine titulo); inc. « *Amantissimi frs. adtendite mandata scribturarum* (sic) » f. 29.

(Sine titulo); inc. « *Scripturae diuine recitantur non ob aliam causam* » etc. f. 29 v.

« Sci. Augustini epi. »; inc. « *Frs. carissimi in his conroboramini* » f. 30.

(Sine titulo); inc. « *Ita habitatio hominis in hoc mundo* » f. 30 v.

(Sine titulo); inc. « *Dicit enim sca. scribtura* (sic) *prope est uerbum* » f. 31.

« Sci. Effrae omelia de die iudicii » (inscripserat librarius: « Sci. Augustini », quae verba deinde delevit); inc. « *Obsecro igitur uos frs. kmi. uenite proiciamus a nobis omnem sollicitudinem* » f. 33 v.

Exempla et monita moralia, fine mutila; primum sine titulo inc. « *Duo frs. carnales uenerunt habitare in monasterio quoddam* (sic) » f. 38 v. Sequentium tituli sunt: « Viuit dns. » f. 40, — « Vitas patrum », — Item « Vitas patrum » f. 41, — « In primis de timore dni. » f. 42, — « De dilectione di. et proximi » f. 42 v. — « De caritate » f. 43, — « De amicitiis » f. 43 v. — « De sapientia » f. 44, — « De patientia » f. 44 v. — « De indulgentia Inimicorum » f. 45 v. — « De humilitate » f. 45 v. — « De paenitentia » f. 46, — « De perseuerantibus » f. 47.

557. Membr. in 8, saec. IX, fol. 19.

« Sci. BASILII admonitio », i. e. regula; inc. « *Audi fili admonitionem patris tui et inclina aurem* » etc. f. 1 v. — Adnotatur, f. 1, manu saec. XIV, hoc codice, olim s. Nazarii in Laurissa, praeter regulam s. Basilii, contineri Smaragdi diademà monachorum, quod nunc deest.

558. Membr. in 8, saec. XII, fol. 194.

CASSIANI collationes (quatuordecim i. e.) abbatum « Cherimonis » tres, « Nesteronis » duae, « Ioseph » duae, « Ppiamonis (sic) », « Iohannis », « Pinufii (sic) », « Theone » tres, « Abrahe ».

559. Membr. in 8, saec. XII vel XIII, fol. *a* 120.

Fragmentum antiphonarii saec. XII, cum notis musicis, f. *a*.

CASSIANI institutionum libri XII, quibus singulis praeposita est tabula capitulorum, f. 1.

« De LXX ebdomadibus »; inc. « *Ait angelus danieli. Aduerte sermonem . et intellige uisionem* (etc.). *In sacris litteris ebdomada una pro septem annis accipitur* » f. 119.

Monita ad monachos et ad omnes fideles, carmine rhythmico; inc.

« *Fratres interest nostra silentium amare* || *Commissa preterita ad mentem reuocare* » f. 120.

560. Membr. in 4, saec. IX vel X, fol. *a* 110.

CASSIANI collationes (septem, i. e.) abbatum « Pafnutii », « Danihelis », « Serapionis », « Sereni » duae et « Isaac » duae. Praemissa est tabula.

561. Chart. in 4, saec. XV, fol. 329.

CASSIANI collationes (decem, i. e.) abbatum « Moysi » duae, « Pafnucii », « Danielis », « Serapionis », « Sereni » duae, « Theodori », « Ysaac » duae, f. 1.

« Liber visionum Elysabeth ancille dei »; inc. « *Fuit in diebus eugenii pape in finibus treverensis dioceseos* (sic) *in cenobio cui nomen sconaugia* » etc. f. 155.

« CESARII » monachi in valle sancti Petri « epistola ad dominum Petrum priorem de loco sce. Marie in diuersa eius opuscula » f. 259 v. — Sequuntur eiusdem Sermones totius anni f. 262 v. et Sermones de solemnitatibus beatae Virginis, cum praefatione ad Alardum presb. et monachum (ultimus, de annuntiatione, imperfectus), f. 322.

562. Membr. in f. saec. XII, fol. 147.

CASSIANI collationum patrum pars secunda et tertia f. 1.

« Sci. IHERONYMI de illustribus viris » f. 119 v.

« GENNADII presbiteri massiliensis de illustribus viris » f. 136. — Sequitur tabula capitulorum, manu saec. XV.

« BEDAE de loquela digitorum »; inc. « *Centesimus et sexagesimus et tricesimus fructus* » f. 145 v.

(Ex eod.) « de locis Iherusalem »; inc. « *Si quis ab occidentis partibus* » f. 146.

Antiphonae et responsoria de s. Ioanne Baptista, fragmentum libri liturgici cum notis musicis, manu saec. circiter XII, f. 147.

563. Membr. in f. saec. XI vel XII, fol. 141.

LUTHFRIDI dystichon de codice oblato s. Michaeli, litteris rubricatis, f. 1.

« CASSIANI ad Castorium papam de institutionibus religiosorum » f. 1 v.

Excerpta ex homiliis « Gregorii » et Bedae in Lucam, et « Augustini » in Iohannem f. 44.

« BAEDE (sic) prbi. omelia de » lectione s. ev. sec. Lucam: « I. i. t. Exiit edictum a Cesare Augusto . ut describeretur uniuersus orbis » f. 44 v.

Excerpta ex tribus homiliis in Lucam: « I. i. t. d. I. d. s. parabolam hanc. Homo quidam nobilis abiit in longinquam regionem (etc.) »;

inc. « *Omnis sci. euangelii frs. kmi. textus* »; in Matthaeum: « I. i. t. d. I. d. s. vigilate quia nescitis (etc.) »; inc. « *Hic ostenditur aperte quarae* (sic) *dns. die iudicii* »; in eiusd. ev.: « I. i. t. d. I. d. s. ecce ego mitto uos sicut agnos (etc.) »; inc. « *Multi cum regiminis curam suscipiunt* » f. 45 v.

Homilia de natali domini, initio carens, des. « *bonae nrae. uoluntati dona suae perpetuae pacis promisit ihs. Xps.* (etc.) » f. 46.

Benedictiones « super carnes in Pascha », « casei », « ouorum », « lard(i) », « super carnes ouium », « agni in Pascha », « lactis et mellis », « ad tonsuram capillorum », « ad clericum faciendum » (« ad deponendam comam » et « ad barbam tondendam ») f. 47.

« GREGORII Moralia in expositione beati Iob per contemplationem sumpta », « Pars quinta » (a l. XXIII ad XXVII), f. 48, et « Pars ultima » (a. l. XXXII ad XXXV) f. 107. Liber XXXIV initio caret. — Folio 131, post librum XXXIII, inserta sunt excerpta trium homiliarum in Ioannem et Lucam.

Benedictiones « uvae vel fabae », « ad fruges nouas », « vini », « panis » etc. f. 141.

« Mensura monocordi Widonis »; inc. « *In primis ad laevam scribe litteram Γ de qua ad finem VIIII passuum b* » etc. alia manu, f. 141 v.

« Contra cadentem morbum » (exorcismus); inc. « *Ego sum crux benedicta de ligno vitae* », item alia manu, f. 141 v.

Adnotationes de tonis musicis, cum neumis, alia m. f. 141 v.

564. Membr. in 4, saec. XII, fol. 104 (pag. 208).

Statuta monachorum cluniacensium, duobus libris divisa, quibus praemittuntur capitulorum tabulae, f. 1.

« Hi sunt libri huius aecclesiae (sic). Missales VII. Lectionarius unus et alius cum aliquibus euangeliis » etc. f. 104 (pag. 207).

Pro quibus defunctis et quomodo missae canantur in monasterio; inc. « *Omnibus abbatibus nostrae fraternitatis defunctis aliisque quibuslibet plenam fraternitatem habentibus tricenarium absque praebendis facimus* » f. 104 v. (pag. 208).

565. Membr. in 4, saec. XIII, fol. 133; picturis illustratus.

Peregrini (i. e., CONRADI HIRSAUGIENSIS) presbyteri Speculum virginum seu dialogus cum Theodora virgine.

566. Chart. praeter folia aliquot membranacea, in 8, saec. XV, fol. 339.

(ZMARAGDI abb.) « Dyadema monachorum » f. 1.

B. « GREGORII NAZIANZENI liber apologiticus (sic) » ex translatione « Rufini », cum prologo, f. 98.

« Mag. NYCOLAI DE LIRA responsio ad quemdam Iudeum ex uerbis euangelii sancti Mathei (sic) » f. 124.

« IOHANNIS DE RYPPA procurat. Marchie ord. fr. minor. determinationes » f. 158.

RABBI SAMUELIS tractatus ad Rabbi Ysaac « translatus de arabico in latinum per fr. Alfonsum Bonihominis hyspanum », a. 1339, f. 321.

567. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 25.

« Copie priuilegiorum ordini (cisterciensi) a summis Pontificibus concessorum quorum originalia in Cystercio conseruantur », i. e. Bullarium cisterciense, continens privilegia pontificum: Lucii (III), « Eugenii III », « Anastasii III (l. IV) », « Adriani III (l. IV) », « Alexandri III », « Urbani III », « Honorii III », Gregorii IX », « Innocentii IV », « Alexandri IV », Urbani (IV) », « Gregorii X », Innocentii (V), Nicolai (IV), Bonifacii (VIII), « Clementis V ». — Sequuntur, varia manu, privilegia Clementis VI et Ioannis XXII.

568. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 188.

« De diuino officio uno eodemque modo ab omnibus celebrando et de libris corrigendis et consuetudinibus (carthusiensium) non immutandis »; inc. « *De officio diuino cap. I. Primum capitulum hanc habet continenciam* » f. 1.

« Mag. GUILLELMI de Yporegia cognomine CRASSI tractatus de origine et veritate perfecte religionis contra detractores sancti ordinis Carthusiensis », « compositus anno (etc.) M°. CCC XIIII », « transumptus (etc.) anno domini M° CCC° LXXX° », f. 169.

« Mag. ARNOLDI DE VILLANOVA tractatus brevis contra illos qui detrahunt Carth(usienses) quia denegant esum carnium eciam infirmantibus » f. 186.

Ordo officiorum « in festo undecim milium virginum » f. 188 v.

569. Chart. in 4, saec. XV, fol. 238.

« Fr. HUMBERTI » (DE ROMANIS), « nacione burgundi », « post beatum Dominicum magistri ordinis predicatorum quinti », « expositio regule beati Augustini ». — Sequuntur, f. 222, tabula capitulorum et, f. 225, tabula rerum ord. alphabetico.

Versiculi ad monachos; inc. « *Auditis gallis si non surgis neque psallis* », inserti f. 221 v.

570. Chart. in 12, saec. XV, fol. 310.

Expositio regulae s. Augustini; prologus inc. « *Inter salubres occupaciones quas habere debet religiosus merito ponitur regula* »; folia ultima lacera et mutila.

571. Membr. miscellaneus in 4, saec. XII-XIV, fol. 94.

Folia 1-25 manu saec. XIV:

« Constitutiones generales (fratrum minorum) reformate per reuerendum... fratrem Michaelem generalem ministrum », a. d. 1317, f. 1.

Folia 26-66 manu saec. XIII vel XIV:

Formularium iuris; inc. « *In noie. dni. am. Anno eiusdem. A natiuitate . M . CC LXX VIII* (etc.) *Quoniam plerique causam principalem iuris ciuilis nec non et canonici nescientes* » etc. f. 26.

« Martini de Fano formularium super contractibus et libellis de factis sepius accidentibus », « compilatum » a. d. 1278, f. 32.

Libellus iudicialis et decretum de ratione reddita tutelae Dominici, filii quondam Actonis, administratae per Conradum Leti patruum eius; « actum in palatio communis Fani » (sine temporis nota), f. 59 v.

Instrumentum compromissi in electionem pastoris « plebis sci. Saluatoris », absque anni nota, f. 60.

« Quibus modis interrumpitur prescriptio »; inc. « *Quatuordecim sunt modi interrumpende prescriptionis* » f. 61.

« Rollandini Bononiensis flores » (de testamentis); fine carent, f. 63 v.

Pelagii epistola ad Demetriadem, initio mutila, manu saec. XII, f. 67.

572. Membr. in f. saec. XV, fol. 55.

Regestum privilegiorum ordinis hierosolymitani hospitalis beatae Mariae Teutonicorum, i. e. « Litterae, munimenta, concessiones, priuilegia et indulta summorum pontificum » « Honorii III », « Gregorii IX », Innocentii (IV), « Alexandri IV », « Clementis IV », « Urbani IV », « Nicolai IV », « Bonifacii IX », « Martini V », « Eugenii IV » et Synodi Constantiensis, « transsumpta et vidimata a card. Iuliano Caesarini » (titulus ex prima rubrica et verbis epistolae praeviae Iuliani Caesarini) f. 1.

Imperatorum, regum et principum privilegia, pro eodem ordine, latine et germanice, f. 26.

573. Membr. in 8, saec. IX, fol. 27.

« Iustiniani imperatoris piissimi edictum rectae fidei confessionem continens et refutationem heresium quae aduersantur catholicae dei ecclesiae », i. e. de condemnatione trium capitulorum.

574. Membr. in 4, saec. IX, fol. 151; picturis illustratus.

Collectio canonum gallicana, fine mutila: « In nomine . dni . Ihu . Xpi . incipit . canon nicaena . de scis. canonibus . brevitatis studio . ut quod opus est : celerius possit invenire : aliqua capitula . quae prasenti tempore necessaria : minime videbatur (sic) omisimus . totum tamen . in hoc libello transtulimus . quicquid oportunum : ac necessarium . omnibus aeclesiis noueramus (sic in omnibus) »; sequitur tabula capitulorum I-XXXII, f. 3.

(I) « Synodus nicaena », (canones XVI), f. 4v. — « Incipit capitulum de suprascriptis canonibus id est nicaenis . CCC . XVIII . episcoporum » (ex Sardicensi) f. 5v.

(II) « Synodus arelatensis » (prima, canones XX,) f. 6v.

(III) « Incipiunt . auctoritatis . uel canonis . (sic) urbicani . Innocentius Exuperio . episcopo : tolosano » f. 8.

(IV) « Item ad locum de supra(dicta) auctoritate » (Innocentii) f. 8v.

(V) « Zosimus Isicio episcopo solinitano (sic) » f. 9.

« VI . Caelestinus . uniuersis episcopis per Apoliam . et Galabriam (sic) . constitutis . »; (insunt fragmenta ex eiusdem epistola ad episcopos prov. Narbonensis et Viennensis), f. 10.

« VII. Incipit epistola decretalis sancti Siricii episcopi urbis Romae » f. 11v. — « Item ad locum de ipsa synodo » (i. e. excerpta ex ead. epistola) f. 12v.

« VIII . Innocentius . Victurio (i. e. Victricio) episcopo . ad locum . radomagensi (sic) » f. 13v.

« VIIII . Dilectissimo fratri Paulino Damasus » f. 15.

« X. Incipit tractatus sancti . Agustini (sic) ad competentes » f. 15.

« XI. Dilectissimo fratri Caesario Simachos (sic) » f. 16.

« XII. Tituli infrascripti . a sancto papa Iohanne (II) de sede apostolica sunt directi (ad Caesarium episc. arelatensem) . ex canonibus apostolorum . XXV . » f. 17v.

« XIII . Synodus africana Episcoporum ducentorum quattuordecem . statutae aeclesiae antiqua (sic in omnibus) » f. 18v.

« XIIII . Statuta synodi . apud eclesiam ualentinam . sub d. IIII . id. iulias Gratiano . IIII . et Equitio consol. ad locum (sic in omnibus) » (canones tres) f. 25.

« XXV (sic) . Synodus . foroiuliensis . ad locum », (i. e. epistola synodi valentinae ad clerum et pop. foroiulienses), f. 25v.

« XVI . Synodus reiensis » f. 26.

« XVII . Synodus . arausica », (i. e. arausicanae primae canones XX), f. 28.

« XϚIII (sic) . Synodus . uasensis » (prima, canones VI,) f. 30v.

« XϚIII. Synodus arelatensis » (secunda, canones XXXI,) f. 32.

« XXI. Synodus arausica (secunda) » f. 35 v.

(XX) « Dilectissimo fratri Caesario (arelatensi episc.) Bonifatius (II) », (approbatio synodi arausicanae secundae), f. 44.

« XXII. Sinodus agatensis », (canones XXVII), f. 47.

« XXIII. Sinodus aurelianensis » (prima, canones XXII,) f. 49.

« XXIIII. Synodus epaonensis », (canones XXXI), f. 51 v.

« XXV. Synodus. arelatensis (quarta) » f. 55 v.

« XXVI. Synodus carpentoratensis » f. 57.

« XXXϚI (sic). Synodus uuasensis (sic) ad locum », (syn. secundae excerptum primi canonis), f. 57 v.

(XXVIII) « Ex constituto synodali. apostolicae sedis. Inter cetera ad locum », (i. e. Symmachi pp. in synodo rom. quarta), f. 58 v. — « XXXϚIII (sic) Incipit praeceptum. immo lex a gloriosissimo rege Theoderico contra illos sacerdotes qui substantiam eclesiae iure directo aut uindere (sic) aut donare praesumunt » f. 59.

(XXIX) « Incipiunt capitula sancti Agustini quae debeant publica voce: relegere et manu propria suscribere (sic). In quibus suspicio est. quod manichaei sint » f. 60. — Sequitur, f. 63 v. « In Xpi. nomine ego Prospera hanc cartholam (sic) anathematis manicheorum relegi et (etc.) suscripsi (etc.) not. sub d. (i. e. notavi sub die) XIII. kal. decemb. Olibrio iun. uc (i. e. viro cl.) consol. ».

« XXXI (sic). Sinodus aruerna » (prima, canones XVII,) f. 64.

« XXXII (sic). Synodus aurelianensis » (tertia, canones XXXVI,) f. 66 v.

(XXXII) « Item. Incipit (sic) aurelianensis (concilii quarti canones) facti in die quarta. Basilio. uc. consol. » f. 73 v.

« Incipit constitutio apostolicae sedis (pro episc. augustodunensibus:) Silvester eps. uniuersis epis. per Gallias. et septem prouintias » f. 85.

« (Z)osimos (sic) uniuersis. In uiennensi et narbonensi. et septem prouinciis epis. constitutis » f. 85 v.

« Auitus episcopus. Victori episcopo. de basilicis haereticorum non recipiendis. » f. 86.

« Canones aurelenianensis (sic, concilii quinti) facti indictione tertiadecima. » f. 90 v.

Dionysii (Exigui) epistola ad Stephanum ep. de translatione regularum ecclesiasticarum e graeco in latinum f. 99. — « Incipiunt capitula canononum (sic) scorum. apostolorum » f. 99 v. — « Incipiunt regulae ecclesiasticae scorum. apostolorum. per sanctum Clementem prolatae » f. 101.

« Concilii sub sancto Bonifacio episcopo carthagenensis aeclesiae celebrati. acta pridiei », incepta « anno secundo gloriosissimi regis. Hil-

derici . non . februarias . Karthagine . in secretario basilicae sci. martyres . Agilei (sic in omnibus) » (insunt excerpta ex conciliis antiquioribus) f. 106. — « Incipit diei (sic) secunda anno secundo gloriosissimi regis Hilderici die nona . id. feb. Carthagine in secretario . basilicae sci. mar. Agilei » (i. e. eiusdem concilii sessio secunda; interrupta f. 127 v. sequitur f. 138 v.-144) f. 124.

« Incipit pactio XV . sinodi calcidonensis », (i. e. tituli canonum actionis XV), f. 127 v. — « Ex synodo calcidonensi », (i. e. canones eiusdem actionis), f. 128 v.

« Item ex concilio carthaginensi sub domno Aurelio episcopo » f. 134 v.

« Exemplar epistulae generalis quae ad epis. (sic) inuitandos in causa insulae . lerinensis missa est » f. 144. — « Incipit Institutio scor. episcoporum Rauenni . Rustici . Nectarii . Flori . Constanti . Asclipi . Maximi . Iusti . Saloni . Ingenui . Enanti . Ioteci . Crisanti . In causa Insulae lerinensis . (sic in omnibus) », (i. e. concil. III Arelat.) f. 145.

« Incipit . fides . catholica . beati Atanasi . (sic) epi. »: « *Quicumque uult saluus esse* » f. 146.

Capitulare (Pippini, a. 754-755) contra inhonestos laicos et clericos f. 147 v.

Lex mosaica de leprosis f. 149.

Interrogationes « Agustini (sic) epi. » et responsiones « Gregorii papae »; inc. « *Cum una sit fides* » f. 149 v.

Breviarium ordinis (monastici) de missarum solemniis iuxta auctoritatem ecclesiae romanae et regulam s. Benedicti celebrandis, (ex vet. « Inventario », nunc deest abscissis foliis); inc. « *Qualiter in coenobiis fideliter in domino servientes tam iuxta auctoritatem catholicae atque apostolicae Romanae ecclesiae* » etc. (hoc initium ex Balleriniorum app. ad Opp. s. Leonis, P. II, c. X, § 3) f. 152.

575. Membr. in f. saec. IX vel X, fol. 158.

De figuris rhetoricis; inc. « *Efexegesis . est exaggeratio rei . ut quae cura boum . quis cultus habendo* (sic) *sit pecori* », manu saec. XI, f. 1 v.

S. Gregorii Magni « De uiro contra uoluntatem uxoris in monasterium ingresso . etiam si tonsuratus fuerit uxori omnino reddendo », « Ex regesto par . I . kap. CLXXX ad Adrianum notarium panormum (sic) » f. 2 v.

« Diuersi canones conciliorum Spanie » (ita f. 158 v. in calce codicis; est collectio canonum hispanica):

« Concilium Toletanum (primum) . X . et VIII . Epor. » f. 3. — « Regula fidei catholice contra omnes hereses . et quam maxime contra priscillianistas . quam episcopi terraconensae (sic) . lusitani . et betice . fece-

runt . Et cum precepto pape urbis Romae Leonis ad Balconium epm. galliciae transmiserunt . ipsi etiam et suprascripta . XXII . canonum capitula statuerunt . in concilio toletano » f. 4 v.

« Toletana Sinodus Secunda Acta a VIII . episcopis » f. 5 v.

« Toletana sinodus . III (i. e. tertia) . LXXII . eporum. In qua arriana heresis in Spania condemnatur » f. 6 v. — « Synodus in Toletana Urbae (sic) Habita Eporum. Sexaginta Octo . » f. 11.

« Et que sunt apocrifa (sic) Veteris (i. e. Testamenti) »; inc. « *I Enoch versus $\overline{I}$ V* »; — « Et que Novi sunt apocrifa »; inc. « *I itinerarium Pauli versus $\overline{III}$ DC* »; pagina des. « *III Itinerarium Ioannis vs. $\overline{I}$ DC* » f. 159.

« Haec (sic) sunt libri diuinae scripture quae (sic) recipiuntur ab ecclesia et kanonizantur harumque versuum numerus ut subicitur »; inc. « *I Genesi versus IIII cccti* » f. 159.

827. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 98.

« Pauli Horosii presbiteri ad Augustinum episcopum hystoriarum contra accusatores temporum christianorum » libri VII. — Praeit breve elogium Horosii; inc. « *Horosius presbiter hyspaneus uir eloquentissimus* » f. 1.

Eiusdem operis pagina imperfecta a librario reiecta f. 98.

828. Membr. praeter f. *a-b* et 175-188 chart. miscellaneus in 4, saec. XI, XIV et XV, fol. *a-b* 188.

« Registrum Cronice Horosii » ord. alphabetico, manu saec. XV, f. *a*.

Ioannis de s. Amando opus de re medica, manu saec. XIV, f. 1.

« Fris. Rogerii Bacun (i. e. Baconis) anglici perspectiua », scr. a. 1349, f. 49.

« Radolfi Bertonis questiones », manu saec. XIV, f. 67.

« Argumenta in libros Horosii contra paganos metrice, manu saec. XIV; inc. « *Hic mala narrantur hominis miseri quoque casus* » f. 89.

« Pauli Horosii contra paganos libri VII », manu saec. circ. XI, f. 89 v.

Epistolae sub falso Sulpicii Severi nomine evulgatae, inscriptae: « Seueri epistola ad scm. Paulinum » episcopum; inc. « *Postquam omnes coquos* »: — « Incipit epistola »; inc. « *Sacrae religionis fidus interpres* » f. 171: — « Alia »; inc. « *Licet domnus et germanus meus* »: — « Ad Saluium »; inc. « *Forensis elatio* » f. 171 v. — Alius epistolae, ut videtur, initium, sine titulo, praecedenti subnexum; inc. « *Animorum* »; des. « *praesentia visitentur* » f. 172. Omnia eadem manu quae supra f. 89 v.

« Hi sunt libri quos Bernardus proprio sumptu conscribi fecit », pro bibliotheca facile s. Martini Maguntiae; inc. « *Ysagoge . Cathegoriae . Periermenias* (sic) . *Topica* » etc. manu saec. circ. XI, f. 172 v.

Pagina historiarum Horosii incepta et a librario reiecta, in cuius locum substituta est superius pagina 165, f. 173.

In vacua paginae parte, alia manu, adnotationes de oratoriis et altaribus consecratis, et reliquiis in iis repositis a. 1064 « a domno. Bennone Osnebrugensi episcopo » et « a domno nro. Eilberto (Mindensi) vener. episcopo » f. 173.

Vita s. Alexii, rhythmice, manu saec. circ. XI; inc. « *Pater deus ingenite . terrae creator caelique* || *Sancte simul paraclyte . opem cantanti porrige* » f. 173 v.

Tractatus de re mathematica imperfectus, manu saec. XV; inc. « *Quidam fecit quemdam tractatum in cuius prohemio inter cetera dicit* » etc. f. 175.

« Mag. Io(ANNIS) Decani Mulhusensis summa tripertiti (sic) mathematice », manu saec. XV, f. 182 v.

829. Membr. in 4, saec. IX, fol. *a* 115.

« PAULI HOROSII praesbiteri (sic) historiarum adversus paganos libri numero septem »; inter f. 46 et 47 desunt quaterniones tres, f. 1.

Epistolae sub falso Severi nomine evulgatae, inscriptae: « Seueri epistula ad scm. Paulinum epm. »; inc. « *Postquam omnes coquos* »: — « Epistulae (sic) »: inc. « *Sacrae religionis fidus interpraes* (sic) » f. 113: — « Alia »; inc. « *Licet domnus et germanus meus* »: — « Ad Saluium »; inc. « *Forensis elatio* »: — Initium epistolae facile alius, praecedenti uno tenore subnexae; inc. « *Animorum* »; des. « *visitentur* », f. 114.

« Sic erat regnum macedonicum Alexandri »; subest tabula circularis demonstrans amplitudinem regni Alexandri, manu saec. circ. XI, f. 115 v.

830. Membr. in 4, saec. XI, fol. 170; picturis illustratus.

MARIANI SCOTI chronicon, continuatum alia manu ab a. 1096 usque ad a. 1128, f. 1.

S. GREGORII Magni decretum « ut diaconi solum evangelicae lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant » f. 170.

INNOCENTII I et Gregorii Magni decreta ne « metropolitani sine pallio aliquem ordinare praesumant » f. 170 v.

831. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 65.

« Cronica martiniana (i. e. MARTINI POLONI) de summis pontificibus et imperatoribus » f. 1.

« Imperatores romani » a Iulio Caesare usque ad « Herrichum (sic) (VII) » f. 62 v. — « Summi pontifices » a Petro ad Gregorium (XI) f. 63.

« Imperatores romani » (iterum) a Iulio Caesare ad « Vicislaum qui imperabat anno 1395 » f. 64 v.

832. Membr. miscellaneus in 4, saec. XIV, fol. 93.

BONIFATII VIII constitutio de divinis officiis tempore interdicti: « *Alma Mater ecclesia* » f. 1.

« Refert enim Iosephus . quia . XLII . anno post gloriosam dei hominis assentionem (sic) » etc.; praemittitur nomen: « Hinricus (sic) Gorziensis », f. 1.

« Fratris MARTINI POLONI cronica », f. 2, addita, f. 70 v. manu saec. XIV vel XV, notitia Nicolai IV. Continuatur chronicon imperatorum, sub titulo: « Nota post Fridericum 2um reges et imperatores »; inc. « *Primo heynricus langrauius thuringie* »; sequuntur: « Wilhelmus comes hollandie »: « Rudolphus primus Comes de Habisburg »: « Adolphus comes de Nassauo »: « Albertus dux Austrie ».

Descriptio Terrae sanctae; inc. « *Cum in veteribus hystoriis legamus sicut dicit beatus Ieronymus quosdam lustrasse prouincias* » etc. f. 71.

« Beati Ambrosii archiepiscopi epistola de moribus et honesta vita »; inc. « *Dilecte fili . dilige lacrimas* » f. 80 v.

S. BERNARDI epistola de re familiari gubernanda « ad gratiosum et felicem militem dominum castri Ambrosii » f. 81.

« Duodecim sunt abusiones quibus tota iusticia suffocatur »; — « Sex sunt leges scilicet Mosaica » etc. f. 82 v.

Distichon; inc. « *Ars esurit decreta tument lex lucra ministrat* » f. 82 v.

« Si quis ad senectutem pervenerit statim cor eius affligitur. Caput concutitur » etc. f. 82 v. — « Tria sunt que ducunt hominem ad regnum celorum » f. 83. — Sequuntur sententiae aliae eiusdem generis.

Adnotatio theologica, lingua germanica, f. 83.

Adnotatio alia, item lingua germanica; inc. « *Bischof Albrecht spuchet achte wort* » etc. f. 83 v.

« CLEMENS V in concilio viennensi » i. e. eiusdem constitutio contra religiosos qui generalia interdicta violare praesumunt: « *Ex frequentibus prelatorum querelis* »; — « Gerhardus archiepiscopus Moguntinus statuit quod et papa confirmauit » etc. (de disciplina ecclesiastica) f. 84 v.

HENRICI archiep. maguntini et aliorum Electorum imperii epistola ad summum pontificem pro « Ludowico » IV imperatore f. 85.

GREGORII X constitutiones promulgatae in generali concilio Lugdunensi, manu saec. XIII vel XIV, f. 86.

De baculo signo potestatis a s. Petro dato s. Martiali discipulo; — De dispensatione; — De interdicto; adnotationes breves, f. 93 v.

833. Membr. in 8, constans duobus libellis in unum compactis, saec. IX vel X, fol. 83.

Libellus prior manu saec. IX vel X:

« BEDAE presbyteri martyrologium » cum necrologio f. 1.

Rhythmus de assumptione b. Mariae virginis, cum notis musicis, (alia manu); inc. « *Hodie sanctissima uirgo uirginum celos ascendit* » f. 24.

« Concordia mensium » et horarum; inc. « *Ian. cum Decb. in horarum mensura concordat* » f. 24 v.

Antiphonae de s. Ioanne evangelista (alia manu); inc. « *Ad vesperum An. Dum sacrum mysterium cernit Iohannes* » f. 25 v.

Libellus alter manu saec. IX vel ineuntis X:

« Epitavia (sic) sanctorum » (titulus manu saeculi XIV vel XV) f. 26.

Rhythmus de s. Ioanne Baptista; inc. « *In laude summi uerbi dei praeconis* » f. 26 v.

Sylloge inscriptionum Urbis Romae; inc. « *In parad. beati Petri* » f. 27.

« Epytaphia (sic) Apostolicorum in ecclesia beati Petri »; inc. « *Epyt. Bonifatii pap.* » f. 36.

Sylloge inscriptionum Mediolani, Papiae, Placentiae, Vercellarum, Eporediae; inc. « *In ciuitate Mediolanium* » f. 41.

Epigrammata tria basilicae Vaticanae, alia manu, (tertium imperfectum); inc. « *In altare sci. Leonis primi apl.* » f. 54 v.

Sylloge epigrammatum Urbis Romae admixtis Spoletinis et epitaphio Droctulfi Ravennae sepulti; inc. « *Huius apostolici primum est hic corpus humatum* » f. 55 v.

Hymni additi manu saeculi X: De s. Caecilia; inc. « *Virgo deuota cunctis* » f. 82 v.: — De s. Nazario; inc. « *Gaudia diei celebremus ymnis* » f. 83: — De s. Vincentio; inc. « *Vincenti uerbo dei uincis uires serpentis* »: — De s. Sebastiano; inc. « *Sancto spiritu nos instructi eiusdem legeque docti* » f. 83 v.

834. Membr. miscellaneus in 4, saec. IX vel X, fol. 92.

Imagines: I. Christi crucifixi, sub cruce: b. Virginis et Ioannis, et superius: solis atque lunae humana specie, atramento depictae, f. 1.

« Bedani (sic, l. BEDAE) presbyteri martyrologium » f. 1 v. — Sequuntur, f. 26, « Concordatio mensium » et tabulae terminorum quadragesimalium, paschalium, rogationum et epactarum.

Imagines sanctorum tres vario atramento delineatae, adscriptis versibus: « *Haec uulgo pictura manet dignissima laude* || *Et manus eximia . Laude cluente simul* » f. 28 v.

« EUSEBII HIERONIMI supputatio » f. 29.

Preces ad ss. Trinitatem, metrice; inc. « *Te'* (sic) *pater ac fili nec non et sps. alme* || *concedas nixis hic siue sedentibus istic* » f. 29.

Tabulae paschales ab a. 836 ad a. 1006 f. 29 v.

De mensium nominibus et signis zodiaci; inc. « *Hebraice . thebeth . Grece tybi . Ægyptiace . eudihius . dicitur* » f. 34.

« Concordatio mensium in horarum spatio » f. 35 v.

(Bedae) « de computo vel loquela digitorum » f. 36.

De mensium diebus nonis idibus f. 38.

« Termini paschales in quibus kalendis nonis et idibus . XIIII luna . id est iudaeorum pascha consistit . et regulares ad inueniendam feriam eodem die » f. 38.

« Dies anni inveniendos (sic) », i. e. summae dierum totius anni in singulorum mensium kalendis, nonis, idibus, f. 38 v.

« Regulares ad kalendas inveniendas quota sit feria »; — Termini quadragesimales et termini paschales, f. 39.

« Epactae ad lunam inveniendam » f. 39 v.

Termini paschales, regulares; — Termini rogationum; — « De Luna paschali » f. 40.

« De temporibus anni » f. 40 v.

« Argumentum ad pascham inveniendam » f. 40 v.

« Ratio bissexti quomodo adcrescit » f. 41.

« Argumentum de initio quadragesimae et de Pascha » f. 41 v.

« Argumentum de duodecim signis » f. 41 v.

« Terminum (sic) septuagesimae »; — « De quattuor tempora (sic) ieiuniorum »; — « Inter uesper . et uespere . et uesperum . et uespera . haec differentia est » etc. f. 42.

« Effectus signorum »; inc. « *In his signis tropicis luna cum erit nummos mutuos dare et accipere utile est* » f. 42 v.

« Argumentum de XIIII luna », et ad inveniendas rogationes, feriam et lunam calendar. ianuariarum, annos ab incarnatione domini et indictionum et epactas »; inc. « *Sicur* (l. *sicut*) *regulatur dominica dies festus paschalis ad decimam quartam lunam primi mensis* » etc. f. 43.

« De his signis qui extra zodiacum sunt »; inc. « *Sunt ergo signa extra ea quae in zodiaco consistunt* » f. 45 v.

Capitulorum tabula cuiusdam tractatus philosophici de re physica in quinque particulas divisi, manu saec. XIII, f. 46 v.

« Sci. HISIDORI spalensis (sic) episcopi liber de astra celi (sic) » f. 47 v.

« Partes philosophie »; inc. « *Philosophiam triuaricae primo diuitur* (sic in omnibus) *id est in theoreticam, practicam, logicam* » f. 91.

De « storia (sic) tropoligia (sic) allegoria anagoge »; inc. « *Storia simplex est* » f. 92 v.

835. Chart. in 4, scriptus anno 1426, fol. 79.

« De arte inueniendi qualiter pronuncianda luna qualibet die secundum numerum subpositum singulis litteris in martirologio et nisi singulis annis mutatur »; inc. « *(S)ciendum est quod quelibet littera alphabeti* » f. 1.

« De prologis diuersis super opus martirologii per quos post multam diligentiam apposuerunt sancti et antiqui ad compilationem huius opusculi »; inc. « *(N)otandum quod licet multi dederint operam ad compilandum martirologium* » f. 1.

« CROMATII et ELIODORI epistola ad Ieronimum » de martyrologio; — « IERONIMI responsio » f. 1 v.

« Usuardi prephatio (martyrologii) ad Karolum regem » f. 2.

« AUGUSTINI prologus secundum alios presbiteri (sic) », i. e. prologus ex b. Augustino qualiter colendi sunt sancti, f. 2 v.

« De officio legendi et kallendario (sic) et martyrologio et aliis his annexis »; inc. « *Laudate dominum de celis in matutin. Accedat qui lecturus est* » etc. f. 3 v.

Tabula sanctorum nomina exhibens in ordinem, ut videtur, temporum relata f. 5 v.

USUARDI martyrologium f. 10.

836. Membr. in 4, saec. XV, fol. *a* 227; picturis illustratus.

Adnotatio de codice Colonie empto a « Wynando de Stega », nomine Ludovici comitis palatini pro 80 florenis, a. 1425, f. *a*.

« Versus de fabrica sci. Wernheri Bacher habentur in libro sci Pantaleonis » (Coloniae); inc. « *Trifolium speciem gerens ymaginis alme* » f. *a*.

LUDOLPHI CARTHUSIANI « liber de vita Ihesu Xpisti in ewangelio (sic) tradita », pars prima usque ad cap. XL, f. 1 v. Tabula f. 226 v. Continuationem quaere in codd. 838, 839.

837. Membr. in 4, saec. XV, fol. *a-c* 235.

« Indulgentie urbis Rome »; inc. « *Et primo in ecclesia beati Petri Apostoli papa Gregorius* » etc. f. *a.*

Stationes ecclesiarum Urbis; inc. « *Dominica prima de aduentu statio ad scam. Mariam maiorem* » f. *b.*

LUDOLPHI CARTHUSIANI « de uita Christi in euangelio tradita pars secunda » et ultima f. 1; praeit f. *c* tabula.

Tabula horarum dierum et noctium per annum, italice, f. 235 v.

838. Membr. in 4, saec. XV, fol. 311; picturis illustratus.

(LUDOLPHI CARTHUSIANI) « de vita Ihesu in ewangelio (sic) tradita », pars prima a cap. XLI ad c. XCII. Sequitur, f. 311, tabula capitulorum. (V. cod. 836).

839. Membr. in 4, saec. XV, fol. 265; picturis illustratus.

LUDOLPHI CARTHUSIANI « de vita Ihesu Xpi » pars secunda a cap. I ad LVII. Sequitur, f. 265, tabula capp. (V. cod. 836).

840. Membr. in f. saec. XII vel XIII, fol. 213.

PETRI Trecensis (COMESTORIS) historia scholastica sive commentaria in Biblia.

841. Membr. in f. saec. XIII, fol. 139.

Fragmentum Isaiae c. VI, cum glossis ex Augustino et Origene, manu saec. XII vel XIII, f. 1 et 2 adhib. in compactione codicis.

PETRI Trecensis (COMESTORIS) « historia scolastica theologice discipline » f. 3.

Carmen in voces vesper, vesperae (etc.); inc. « *Sol quociescumque vel luna fit obruta nube* || *dicitur hoc uesper et declinabitur ut uer* » f. 139.

De speciebus artis magicae; inc. « *Magice artis quinque sunt species* » f. 139.

De « Tychonii » (Afri) VII regulis seu « de modis loquendi diuersis in sacra scriptura », ex « Augustino » de vita christiana, f. 139 v.

842. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 156.

PETRI COMESTORIS « hystoria scolastica » f. 1. Quaedam omissa a librario suppleta deinde sunt f. 151 v.

Loci ubi apostoli sepulti sunt; inc. « *Petrus et Paulus rome sepulti sunt* » f. 151.

Tabula in historiam Comestoris f. 153.

843. Membr. in 4, saec. XIII, fol. *a* 260.

PETRI COMESTORIS « scolastica hystoria ».

844. Chart. in 4, saec. XV, fol. 260.

« Vitae patrum »:

(S. Hieronymi) vita Pauli primi heremitae f. 1.

« Evagrii vita sci. Anthonii (sic) », cum prologo, f. 5 v.

De monachis Aegypti; prologus inc. « *Benedictus dns. qui uult omnes homines saluos fieri* » f. 39 v. Insunt vitae « sci. Iohannis » f. 41, « Hor » f. 51 v. « Ammonis » f. 53, « Beni » f. 53, « Theonis » f. 54, « Appollonii » f. 55, « Ammonis » f. 62, « Copretis » f. 64, « Heleni » f. 69, « Helye » f. 71, « Eulogii » f. 71 v. « Appellis » f. 72, « Paphnutii » f. 73 v. « Ysidori » f. 76, « Serapionis » f. 76 v. « Apollonii » f. 77, « Dyoscori » f. 78, « De habitatoribus Nytriae » f. 78 v. « Ammoni » f. 79 v. « Didimi », « Cronii », « Origenis », « Evagrii » f. 80 v. « De duobus Machariis » f. 81, « Ammonis » f. 84 v. « Pauli » f. 85 v. « Piamonis » f. 88 v. « Iohannis » f. 89.

(S. Hieronymi) « vita Malchi captivi monachi », cum prologo qui inc. « *Qui nauali praelio dimicaturi sunt* » f. 90.

De s. Frontino, cum prologo qui inc. « *Qui homo dei et Xpi.* » f. 95.

« De quodam fratre qui habebat unicam filiam nomine Marinam »; inc. « *Frater erat quidam secularis habens unicam filiam* » f. 98.

« Fuit in quodam monasterio feminarum quedam virgo que stultam esse ac demonem se habere simulabat » etc. f. 100 v.

« De Thaysi meretrice »; inc. « *Fuit quedam* » etc. f. 101 v.

« De verbis seniorum »; inc. « *Interrogavit quidam abbatem Antonium dicens quid custodiens placebo deo* » f. 103.

Folio 213 v. adnotatur: « Hucusque de greco in latinum transtulit Pelagius ecclesie romane et adhuc deorsum Iohannes subdiaconus ».

« De sanctis senioribus qui signa faciebant »; inc. « *Dicebat abbas dulas discipulus abbatis besarionis* (sic) » f. 220.

« De conversatione optima »; inc. « *Rettulit abbas dulas dicens quia ambulantes aliquando in heremo* f. 223.

« Septem capitula verborum que misit abbas Moyses abbati Pyminio et qui custodierit ea liberabitur a pena »; inc. « *Dixit senes moyses quia debet homo quasi mortuus esse socio suo* » f. 232.

« S. Macharii epistola ad filios »; inc. « *Inprimis quidem si ceperit homo semetipsum agnoscere* » f. 252.

« Beati Athanasii episcopi sermo ad monachos »; inc. « *Etsi quid gloriari in Xpo. licet* » f. 254.

« Sci. Macharii sermo ad monachos »; inc. « *Fres. karissimi quamquam et noticiam scripturarum* » f. 259.

845. Membr. in 4, saec. IX, fol. 193.

SULPICII SEVERI Vita et Miracula s. Martini:

« Prologus de vita sci. Martini » ad Desiderium f. 1. — « Capitula libri primi » f. 1 v. — « Praefatio » f. 2 v. — « Vita sci. ac beatissimi patroni nostri Martini episcopi atque confessoris » (liber primus) f. 4.

« Seueri epistola ad Eusebium prbm. postea episcopum » f. 20 v.

« Item alia eiusdem ad Aurelium diaconem (sic) » f. 22 v.

« Eiusdem ad socrum suam Bassulam qualiter scs. Martinus de hoc mundo recesserit » f. 24 v.

« Capitula dialogi Seueri » f. 27 v. — « Dialogus Seueri » primus, i. e. vitae s. Martini « liber secundus », f. 28.

« Capitulatio dialogi (i. e. partis secundae dialogi primi) Severi » f. 44 v. — « Liber III de uita sci Martini », (i. e. dialogi primi pars secunda) f. 45.

« Capitula » (dialogi II) f. 54 v. — « Dialogus secundus de vita sci. Martini » f. 55.

Epigrammata cellarum et basilicae s. Martini; inc. « *Incipiunt uersi in foribus primae cellae sci. Martini episcopi* » f. 64.

« Basilica sci. Martini abest e ciuitatem (sic) passus quingentos fere et quinquaginta (etc.) », sequuntur mensurae et descriptio totius basilicae, f. 66 v. « Item solemnitates ipsius basilicae » f. 67.

« Sci. Martini liber de Trinitate » f. 67.

Caput Sulpicii Severi e dialogorum libro secundo (in editis III, 15) de « Brichione diacono », i. e. de Briccio postea episcopo turonensi, (quod desideratur supra f. 63), f. 67 v.

« Vita sci. ac beatissimi Briccii epi. et confessoris », ex GREGORIO TURONENSI hist. Francor. lib. II) f. 69.

« Epistola de transitu sci. Martini epi. »; inc. « *Arcadio uero et Honorio scs. martinus* » f. 70 v.

« Item versiculus (manu antiqua: « versiculus » deletum, substitutum: « sermo ») de transitu sci. Martini »; inc. « *Beatus autem seuerinus colonensis* (sic) *civitatis episcopus* » f. 71 v.

« Item alius (add. alia manu antiqua: sermo) sci. Ambrosii (sic) de transitem (sic) sci. Martini »; inc. « *Eo namque tempore . Beatus Ambrosius cuius hodie flores eloquii per totam ecclesiam redolent* » f. 72.

« Item alius quando corpus eius translatum est »; inc. « *Opere praetium est illud inserere lectioni* » f. 72 v.

« Paulini Petricordie de uita sci Martini epi. uersibus », libri VI, f. 74.

« Dno. sco. ac beatissimo patrono (s. Martino) perpetuo epo. Paulinus », epistola, f. 141.

« Paulini uersus de Visitatione neputuli (sic) sui » f. 141 v. — « Item alius (i. e. alii versus) de orantibus « f. 143.

« Furtunati (sic) prb. opus de uita sci. Martini epi. », praemissis prologo ad Gregorium pp. et praefatione metrica, f. 143.

« Fortunati opus in laudem dei (et) sce. Mariae » f. 186.

« De reuelatione sci. Stephani RUODOLPH » (revelationis narratio scripta non fuit), alia manu saec. X, f. 193 v. — Precatio abbatis « Ruodolf », quae videtur initium prologi de revelatione s. Stephani, f. 194.

846. Membr. in f. saec. IX vel X, fol. 141.

Vitae sanctorum:

« Passio sci. Floriani. Quod est III Nonas Maias »; inc. « *In diebus Diocletiani et Maximiani imperatorum* » f. 1.

« Passio sci. Hermetis. Quod est V. kl. Septembris »; inc. « *Regnante igitur Traia(no)* » f. 1.

« De vita et passione beati Hemmerammi martyris, cuius festum celebratur X kl. Octob. »; inc. « *In perpetuum regnante dno. nro. ihu Xpo. qui sanguine pretioso* » etc. f. 2 v.

Folio 9 v. manu saec. XIV, indiculus « passionum sanctorum (quae) in alio codice continentur ».

« Passio sci. Cyrici mar. Quod est id. Iun. »; inc. « *In diebus Alexandri praesidis* » f. 10.

« Passio scae. Margaritae uirg. et mart. III Id. Iulias »; inc. « *Post passionem et resurrectionem dni. nri. Ihu. Xpi.* » f. 14 v.

« Passio Ermagore epi. cum sociis suis IV id. Iulias »; inc. « *Post resurrectionem dni. nri.* » etc. f. 18.

« De uita uel actibus et passione beatissimi Lamberti epi. », libri duo cum praefatione; inc. « *Si paganorum figmenta* » f. 21.

« Vita sci. Galli conf. Xpi. », libri duo; singulis praeit tabula capitulorum; inc. « *Cum praeclara scissimi. uiri Columbani* » f. 25.

S. Mariae Aegyptiacae vita quam « de greco transtulit in latinum Paulus uenerabilis diaconus scae. Neapolis ecclesiae » f. 47. Praeit tab. cap. Sequitur f. 55 miraculum.

« Vita sci. ac beatissimi Goari (corr. deinde Gowari) confessoris »; inc. « *In diebus Childiberti regis francorum* » f. 59.

« In hoc libello insertae sunt passiones scorum. martyrum et uniuscuiusque sci. per haec capitula repperies passiones adnotatas », sequitur tabula passionum quinquaginta seqq. ordine kalendarii, f. 62.

« Passio beatissimae Martinae »; inc. « *Regnante primum* (corr. deinde *primo*) *omnium* » f. 62 v.

« Passio sci. Concordii »; inc. « *Temporibus antonini imperatoris grauissima persecutio orta est* » f. 69.

« Passio sci. Pontiani »; inc. « *Temporibus antonini imperatoris facta est persecutio Xpianorum* » f. 69 v.

« Passio beati Felicis prbi. nolani »; inc. « *Factum est (autem ut* verba haec deinde deleta) *post completionem beatissimi felicis prbi.* » f. 70 v.

« Passio beati Marcelli papae »; inc. « *Tempore quo Maximianus augustus rediens de partibus africe* » f. 71.

« Actae (corr. deinde: acta) et passio beati Anastasii martyris ex Persida ciuitate »; inc. « *Unigenitus filius et verbum dei* » f. 74.

« Passio beati Blasii »; inc. « *Etenim in Sebastia Cappadociae tradidit quidem ad correptionem eis* » f. 79 v.

« Passio scorum. mart. XL »; inc. « *Qui in Sebastia ciuitate martyrio consummati sunt* » f. 81.

« Vita seu transitus sci. Iohannis Penariensis »; inc. « *Factum est autem in diebus illis* » f. 83.

« Passio sci. Torpetis »; inc. « *In illo tempore sub Nerone imperatore* » f. 84.

« Passio sci. Alexandri papae et aliorum scorum. »; inc. « *Quinto loco a beato Petro apostolo romanae urbis* » f. 86.

« Passio sci. Gurdiani (sic) mart. »; inc. « *Temporibus Iuliani impiissimi imperatoris diuulgati sunt multi Xpiani* » f. 89.

« Pas. scorum. Nerei et Achillei » et sociorum; inc. « *Nisi studia catholicorum securitatis suae somno quiescerent* » f. 90.

« Relatio Pastoris prbi. tit. sce. Potentiane ad Timotheum prbm. » « de sca. Potentiana »; inc. « *Omnia que a sanctis gesta sunt uel geruntur* » f. 94 v.

« Passio sci. Cononis »; inc. « *Regnante Aureliano tyranno . directus est domitianus* » f. 95.

« Passio sci. Bonifatii »; inc. « *Temporibus diocltitiani impiissimi Imperatoris orta est seditio maxima* » f. 96.

« Passio scorum. mart. Primi et Feliciani »; inc. « *Temporibus diocletiani et maximiani imperatorum seua fuerat Xpianis orta tempestas* » f. 97 v.

« Pas. sci. Gethulii mar. et aliorum scorum. mar. »; inc. « *Iam quasi tempestate remota ab adriano principe* » f. 99.

« Passio scorum. martyrum Basilidis Tripodis et Mandalis »; inc. « *In ciuitate orientali cum beatus basilidis esset in officio platonis* » f. 100 v.

« Passio scorum. martyrum Viti Modesti et Crescentie »; inc. « *In prouintia Lucana . sub tempore diodetiani* (sic) *et antonini Imperatorum* » f. 101.

« Passio scorum. mart. Iohannis et Pauli »; inc. « *Sub constantino augusto gallicano duce romani exercitus* » f. 103.

« Passio scae. S y m p h o r o s a e uxoris beati Gethuli mar. cum septem filiis »; inc. « *Scs. Eusebius historiagraphus* (sic) *memorat africanum* » f. 105 v.

« Passio scorum. mar. P r o c e s s i et M a r t i n i a n i »; inc. « *Tempore quo symon magus crepuit intus* » f. 106 v.

« Passio scarum. R u f i n a e et S e c u n d a e »; inc. « *Rufina et secunda duae sorores uirgines ciues romanae* » f. 107 v.

« Passio scae. F e l i c i t a t i s cum VII filiis suis »; inc. « *Temporibus antonini imperatoris orta est seditio* » f. 108.

« Sermo (sic) beatae P r a x e d i s »; inc. « *Virgo uenerabilis praxedis habitauit In titulo supradicto* (sic) » f. 109.

« Vita sci. V i c t o r i n i mart. »; inc. « *Hucusque nos patris hieronimi dicta referentes per Interpretes locuti* » f. 109 v.

« Passio scorum. martyrum S i m p l i c i i . F a u s t i n i . et B e a t r i c i s »; inc. « *Temporibus diocletiani et maximiani sceleratissimorum imperatorum* » f. 111.

« Acta et passio beati F e l i c i s mar. atque pontif. urbis Romae uia portuense »; inc. « *Fuit autem temporibus constantii filii constantini magni principis* » f. 111 v.

« Pas. beatae S e r a p h i a e uirg. »; inc. « *Cum dies itaque metuendus persecutionis innotuisset Xpianis.* » f. 112.

« Vita sci. D o n a t i epi. »; inc. « *Erat quidam puer in ciuitate romana nomine donatus* » f. 113.

« Unde supra », i. e. alia vita s. D o n a t i; inc. « *Desideranti tibi famula di. anastasia ut uitam beati donati epi. de greco in latinum transferrem sermonem* » f. 115.

« Passio scae. S u s a n n a e »; inc. « *Temporibus diocletiani et maximiani augustorum . fuit quidam prbr. nomine gauinus* » f. 116 v.

« Pas. beatissimi E u p l i mar. et Leuitae »; inc. « *Sub diocletiano nouies . et maximiano septies consulibus* » f. 120.

« Passio E u s e b i i prbi. in Roma »; inc. « *Eodem tempore quo Liberius de exilio reuocatus fuerat* » f. 120 v.

« Passio sci. A g a p i t i »; inc. « *Sub rege Antiocho pagano erat puer quidam nomine agapitus* » f. 121.

« Passio sci. I a c y n t i diaconi »; inc. « *Scm. itaque Iacyntum diaconum Luxurius tradidit consulari Leontio* » f. 122 v.

« Pas. beatissimi C i p r i a n i et I u s t i n a e »; inc. « *Inluminatio dni. nri. ihu. Xpi. saluatoris de caelo facta est* » f. 122 v.

« Pas. beatissi. mar. L u c i a e et G e m i n i a n i »; inc. « *Imperante diocletiano et maximiano septies In urbe roma* » f. 125 v.

« Passio sci. C a l i x t i papae »; inc. « *Temporibus Macrini et alexandri incendio diuino concremata est pars capitolii a meridiano* » f. 128 v.

« Pas. beatorum mar. Simproniani . Claudii . Nicostrati Castorii . et Simplicii »; inc. « *Tempore quo diocletianus augustus: perrexit pannoniis ad metalla diuersa* » f. 130.

« Passio sci. Theodori mart. »; inc. « *Temporibus suis . Maximianus et maximinus imperatores* » f. 133.

« Passio beatissimi Menne mar. »; inc. « *Anno secundo imperii sui diocletianus augustus* » f. 135.

« Expositio Gregorii epi. turonensis ecclesiae miraculorum beati Clementis martyris atque pontificis »; inc. « *In diuinis uoluminibus* » f. 136 v.

« Passio scae. Barbarae . mar. »; inc. « *Temporibus imperatoris maximiani erat quidam satraps* » f. 137 v.

« Acta sci. Nicolai epi. myrensis atq. Lycium mytropoleos (sic) »; inc. « *Temporibus constantini magni Imperatoris . Inconstantia facta est atq. dissensio in frigia* » f. 139.

« Passio sci. Sauini epi. et mar. », fine carens; inc. « *Maximiano Augusto quintodecimo kl. maias in circo maximo ueneto uincente* » f. 140 v.

847. Membr. in f. saec. XIII vel XIV, fol. 117.

« Novum passionale editum a predicatore quodam », i. e. (Iacobi a Voragine) legenda aurea sanctorum, in quatuor partes divisa: I. « De tempore Renouacionis » (ab Adventu ad fest. s. Thomae ap.), II. « De tempore reconciliacionis et peregrinacionis » (a Nativitate ad passionem d. n.), III. « De tempore reconciliacionis » (a Resurr. d. ad f. s. Pancratii), IV. « De tempore peregrinacionis » (a f. s. Urbani ad f. s. Agathonis abb.). Praeit, f. 1, tabula.

848. Membr. in f. saec. XIV, fol. 163.

« Iacobi a Voragine Legenda sanctorum »; idem opus quod supra, sed plenius, scil. ab Adventu usque ad fest. s. Margaritae dictae Pelagiae. Sequitur tabula; rubricis adscripti sunt numeri quorum ultimus est CLXI.

Adnotationes breves de « anniversari(is) Bertelmi de Ugonibus » et « dni. Faustini de Madiis » f. 162. — « Ista est pecunia quam recepi a fratre meo (etc.) », adnotatio partim obliterata; — « Hec sunt mise (sic) inferius scripte beati Gregorii papae sicut continetur in libro dialogorum ubi legitur (etc.) » f. 163 v.

849. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 297; picturis illustratus.

« Iacobi a Voragine Legenda sanctorum »; idem opus et plenius;

ultima rubrica est: « De dedicatione ecclesiae », cui adscriptus est, manu recentiore, numerus CLXXIX.

Sententiae morales, alia manu; inc. « *O vilis humane conditionis indignitas* » f. 297.

850. Membr. et chart. miscellaneus in 8, saec. XV et XVI, fol. 121.

Folia 1-66 membr. saec. XV:

« Liber passionarii per anni circulum », i. e. legendae sanctorum a festo s. Andreae apostoli ad festum s. Philippi ap.; inc. « *Andreas frater petri* » f. 1.

Folia 67 et seqq. chart. scripta a. 1515; plurima vacua:

« Iohannis Tritemii abbatis diui Iacobi maioris apostoli herbipolensis » « vita Rhabani . Mauri . Magnencii Moguntine sedis archiepiscopi », praevio prologo eiusd. auctoris, f. 75.

« Eiusd. beati Maximi nobilis ecclesie moguntine quondam episcopi vita nouiter edita », praemisso prologo, f. 110.

*851. Deerat iam anno 1798. In vetere « Inventario » Pal. Vat. describitur his verbis: « *Vitae quorumdam sanctorum videlicet: S. Cyriaci* (; inc.) Si iuxta euangelicae (f.) 1, — *B. Galli Conf. per Walafridum Abbatem Augiensem* (; inc.) Nisi me sanctarum (f.) 18, — *S. Mauri* (; inc.) Postquam diuinitas (f.) 36, — *S. Goaris per Marmadum Abbatem* (; inc.) Miracula (f.) 46, — *S. Borchardi epi. Wormatien.* (; inc.) Erat igitur Burchardus (f.) 60. — *Historia Longobardorum anonymi* (; inc.) Septemtrionalis plaga (f.) 71. — *Antiq. mod. ex papyr. in fol. car. sc. 114* ».

*852. Deerat iam anno 1798. In vetere « Inventario » Pal. Vat. describitur his verbis: *Vitae Sanctorum et Homiliae, Videlicet: Relatio miraculosae imaginis Saluatoris dni. nostri Iesu Xpi. in ciuitate Vireti, siue Biryti inter terminos Tyri . et Sidonis* (; inc.) Eleuate oculos sensus (f.) 6, — *Sermo in festiuitate s. Mathiae Apostoli* (; inc.) Mathias hebraice (f.) 6, — *Passio s. Bonifatii et Teclae coniugum, ac duodecim filiorum; uidelicet Donati, Felicis, Aronii, Honorati, Fortunati seu Fortunatiani, Santiani seu Sauiniani, Septimini, Ianuarii, Felicis, Vitalis, Castorii seu Satorii, et Repositi tempore s. Cypriani Carthaginensis, Restitutae senatricis, cum filio et familia* (; inc.) Cum feruor Maximini (f.) 15, — *S. Marci euang. historia* (; inc.) Per idem tempus (f.) 23, — *Sermo de s. Barnaba Apost.* (; inc.) Redemptor et Saluator (f.) 27, — *S. Mercurii, Gordiani fil. Scithae uita* (; inc.)

Decius ambitionis (f.) 34, — *De s. Luca Euang. sermo* (; inc.) Cum in diuinis, atque (f.) 51, — *S. Barilidis passio* (; inc.) Iesu Christi Dni. nri. (f.) 58, — *S. Gregorii pp. Homilia in illud Lucae, Designauit Dominus et alios* (; inc.) Dominus et saluator (f.) 63, — *Eiusdem alia in illud Matthaei, Misit Iesus duodecim discipulos* (; inc.) Cum constet omnibus (f.) 73. — *Antiq. ex pergam. in 4 car. sc. 77* ».

853. Chart. insertis foliis membr. in f. saec. XIV, fol. 31; picturis illustratus.

Vitae patrum:

(S. Hieronymi) « Vita beati Pauli heremite », cum prologo, f. 1.

« Evagrii pbri. prologus in translationem vitae sci. Anthonii (sic) abbatis » f. 3 v. — « Beati Athanasii episcopi prologus » in eandem vitam f. 4. — Tabula capitulorum; — « Vita gloriosissimi ac magnifici confessoris beati Anthonii egipciorum heremita (sic) f. 4.

« Inventio scissimi. abbatis Anthonii a beato Ieronimo de greco in latinum translata facta a Theophilo episcopo Constantinopoleos 3° idus Iunii »; praeit tabula capitulorum, f. 21 v.

« Translatio beatissimi Anthonii abbatis de sepulto loco in ignoto permissoque sed Xpi. reperto »; inc. « *Quia favente deo beati Anthonii vitam* » f. 28 v.

Narratio de recessu .s. Antonii a civitate Patras in desertum; inc. « *Beatus anthonius abbas cum esset in civitate Patras in monasterio* » f. 30.

854. Membr. in 4, saec. XIV, fol. 58; picturis illustratus.

« Beati Eusebii epistola ad sanctum Damasium portuensem episcopum et ad Theodouium (sic) romanorum senatorem de morte gloriosissimi Ieronimi confessoris doctoris eximii » f. 1.

« Beati Augustini ypponensis episcopi epistola ad beatum Cyrillum secundum ierosolimitanum pontificem de magnificentiis gloriosissimi confessoris Ieronimi doctoris mirifici » f. 28.

« Beati Cyrilli secundi ierosolimitani episcopi ad beatum Augustinum ypponensem episcopum de miraculis gloriosissimi confessoris Ieronimi doctoris magnifici » f. 33 v.

855. Chart. insertis foliis aliquot membr. miscellaneus in 8, saec. XV, fol. 231.

« Beati Eusebii Cremonensis ad beatum Damasum portuen. et ad Theodorum Romanorum Senatorem eius fratrem de morte beati Iheronimi confessoris et doctoris eximii » f. 1.

« Fr. EGIDII (COLUMNAE) DE ROMA tractatus de peccato originali » f. 40.
Excerpta ex Boetio et s. Augustino f. 51 v.

Ultima verba tractatus: « de arte moriendi » et de vita christiana; expl. « *necesse est ut prius antequam mors occupet mori discat* » f. 52.

« IACOBI DE CESSAL(IS) ordinis predicatorum ludus scacorum », sive de regimine morum, in quatuor partes divisus, f. 53. — Sequitur, f. 116 v. « tabula super tractatu scachorum ».

« Flores sanctorum », i. e. excerpta theologica et moralia ex Ambrosio, Anselmo, Augustino, Basilio, Bernardo, Cassiodorio, Gregorio (magno), Hieronymo, Hugone de s. Victore, Ioanne « Crissost(omo) » (sic), Isidoro, Paulo ap., Seneca; inc. « *Magna fides magna meretur . Augustinus .* » f. 121.

« Excerptum de repeticione seu lectura capituli: Omnes utriusque sexus, magistri IOHANNIS DE ODENDORFF doctoris iuris canonici Aurelian. » f. 141.

« Hec ex li(bro) vite Xpi. parte 2 c. IX »; inc. « *Et notandum hoc quod secundum numerum gradus apostolici duodenum* » f. 179.

« Mgri. IOHANNIS DE GERSONA, olim Cancellarii parisiensis, de tribulacionibus ex defectuoso ecclesiasticorum regimine ecclesie peruenturis, et de signo earumdem ex sententia pronunciata de conceptione beate Virg. in Concilio Constantiensi » f. 182.

« Eiusdem de symoniaca prauitate », scr. a. 1453, f. 184 v.

Ordo de vestibus ecclesiasticis et de sacrificio missae, imperfectus; inc. « *Dicit appls. ad epheseos . VI . Induite uos armatura* (etc.) *Hec armatura est vestis sacerdotalis* » f. 189.

De sacris ordinibus, de septem sacramentis et de sacrificio missae; inc. « *Nota quod sacerdos est ille qui dat sacrum munus* » f. 191.

« Regula dirigens celebrationes missarum ut caueant defectus et pericula ac disturbiis in missa contingentibus remedium habeatur »; inc. « *Defectus misse sunt quando requisita celebracioni misse deficiunt* » f. 193.

De sanitate corporis: « Istud compendium habet tres libros, primus est de generali regimine diete quoad omnes etates, Secundus est de regimine sanitatis quoad debitum nutrimentum, Tercius est de regimine sanitatis quoad debitas superfluitatum purgaciones »; inc. « *Primus liber habet duos tractatus* » f. 198.

De X praeceptis decalogi; inc. « *Primum preceptum tres habet clausulas* » f. 224.

De vita futura « ex libro collacionum »; inc. « *De futura enim vita plus tradendum est quam scribitur* » f. 226.

De paupertate (excerptum); inc. « *Consequenter ammonendi sunt pauperes* » f. 228.

De vita clericorum (item excerptum); inc. « *Ammonendi ergo sunt Clerici . Primo ut intelligant statum suum* » f. 230.

856. Membr. in 4, saec. X, fol. 24.

(SEVERI episcopi) epistola ad omnem ecclesiam de virtutibus ad Iudaeorum conversionem in minoricensi insula factis in praesentia reliquiarum s. Stephani (titulus ex praefatione) f. 1.

De miraculis s. Stephani; inc. « *Quoniam scs. Rafahel* (sic) *archangelus* » f. 16. — Miraculum s. Stephani de ducentis vasis vini apothecae cuiusdam Donati reparatis, libri secundi de miraculis caput tertium, f. 23 v.

857. Membr. in 4, scriptus anno 1300, fol. 84; picturis illustratus.

De sacramento Eucharistiae et de institutione festi corporis Christi, excerpta; inc. « *(I)mmensa diuinae largitatis beneficia exhibita in populo Xpiano.* » f. 1.

« Hii sunt quasi quidam nobiles arborum rami inter quos pululauit (sic) et de quibus nascendo processit flos ille pulcherrimus beata Hedwigis fructibus generosis venustus », stemma genealogicum, f. 1 v.

Antiphona in honorem s. Catharinae, cum notis musicis, f. 2 v.

(ENGELBERTI) « Legenda maior » « beate Edwigis quondam ducisse Sle(siae) »; inc. « *Splendoris eterni genitor . lumenque indeficiens* » f. 3.

Eiusd. « Legenda minor de uita beate Hedwigis »; inc. « *Lux lucis et fons luminis pater de celis deus* » f. 65 v.

Sequentiae « de sancta Elyzabeth » et « de sancta Hedwigis (sic) », cum notis musicis, f. 70. — Officium s. Elisabeth f. 71 v. — « Hystoria (officium) beate Hedwigis » f. 77 v.

858. Chart. in 4. saec. XV, fol. 67.

Testimonia de sanctitate et cultu beati Werneri, collecta (in Bacheraco) iussu Iordani de Ursinis « ad reuerentiam nec non informationem apostolice sedis eiusque summi pontificis (etc.) ». Inest, f. 7, « Vulgare canticum in bona notula »; inc. « *Gott vatter in der ewigkeit* », cum translatione latina Wynandi de Stega. In calce codicis legitur: « Actum et conclusum ac sigillatum Anno domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono ».

859. Chart. in 4, saec. XV, fol. 114.

De gestis et translationibus trium Regum; inc. « *In primo capitulo huius libri qui est collectus de gestis et translacionibus trium regum q. est prefacio operis sequentis* » f. 1.

« Magistri IORDANI cronica qualiter romanum imperium translatum sit ad germanos et quare romanum imperium sit honorandum ».

« Nota excerptum de visionibus siue propheciis Hyldigardis . XXV visio tercie partis », et « de quarto tempore quod significatur per portum . XXVII » (visio).

860. Membr. in 8, saec. XV vel XVI, fol. 72.

Sermo de corpore Christi; inc. « *Magnitudo caelestium beneficiorum* » f. 1.

Vita s. Moysis heremitae; inc. « *Moyses genere ethiops* » f. 16.

(HIERONYMI) vita s. Pauli primi heremitae f. 21.

« Vita sci Malchi captivi monachi a beato Hieronymo edita » f. 29 v.

(Eiusd.) vita s. Hilarionis f. 39.

Vita s. Macarii presbyteri alexandrini; inc. « *(V)ere mundum quis dubitet meritis stare sanctorum* » f. 62.

861. Chart. in 8. saec. XV, fol. 139.

« Retract(ati)o breuis et succincta perfectissime uite sanctissimeque venerabilis ac devotissime religiose gloriose memorie nomine Colete ordinis sce. Clare prime reformatricis » (titulus ex praefatione); prologus inc. « *Altissimi conditoris unigenitus cum eodem spirator ut unicum principium superni neupmatis* (sic) ».

Iudicium de hoc codice manu Angeli Battaglini, olim Scriptoris bibliothecae Vaticanae, f. 139.

862. Chart. et membr. miscellaneus in 8, saec. XV et XIII, fol. 108.

Folia 1-67 chartacea varia manu saec. XV:

« Vita sancti Iuliani martyris »; inc. « *Quidam probus scripsit vitam beati Iu(li)ani mris.* » f. 1.

« Vita beate Marine uirginis »; inc. « *Fuit quidam vir unicam habens legitimam filiam* » f. 17.

« Historia septem sapientum »; inc. « *Legitur in libro de septem sapientibus Quod fuit rome quidam imperator diodecianus* (sic) *nomine* » f. 24.

« Domini FRANCISCI PETRARCHE libellus augustalis et est usque Rupertum ducem Bauariae et Regem Romanorum » f. 44.

« CRISPI SALUSTII (sic) Catelinarii belli liber » membr. manu saec. XIII, f. 68. — Insertus est, f. 84 v. brevis prologus « b. Prosperi » in librum « de dictis et preceptis beati Agustini »; inc. « *Ut in capite uniuscuiusque libri quaedam esse intrinsecus requiruntur ita et in huius libri principio* » etc.

« Scriptorum alii sunt poete alii historiographi » etc., prologus de Sallustii vita et scriptis, f. 84 v.

Totus codex palimpsestus est. Antiquior scriptura duplici manu saec. X vel XI: altera exhibet calendarium tabulas cyclicas et alia de ratione temporum; altera litteris minoribus fragmenta liturgica vel homiliarum.

863. Membr. et chart. miscellaneus in 12, saec. XIV vel XV et XVI, fol. 148.

Folia 1-127 membranacea, manu saec. XIV vel XV:

« Passiones sanctorum per circulum anni », in compendium, a festo s. Stephani; inc. « *Stephani - Tyberius cesar cum infirmaretur et sanari non possit* ». Ultima s. « Brigide uirginis ».

« Sermo ad sacerdotes »; inc. « *Locutus est dns. ad moysen dicens* » f. 110. — « Octo prerogatiue beate uirginis »; inc. « *Beata maria octies maior est quolibet sancto* »; — « De passione domini »; inc. « *Non est dolor similis* » f. 111 v.; — « Nota V raciones quare Xps. primo apparuit Marie Magdalene »; inc. « *Racio prima est propter furorem dileccionis* » f. 112.

De decem praeceptis; inc. « *Primum mandatum est non adorabis deos alienos* » f. 112.

Benedictio « amoris sancti Iohannis » et aliae, manu saec. XV, f. 113.

Tabula passionum (v. supra), imperfecta, manu saec. XV, f. 114.

« Beati BERNARDI abbatis Clareuallis soliloquium » f. 115.

« Dicta sancti Augustini Episcopi » (titulus manu saec. XV); inc. « *O homo intellige ex consilio sce. trinitatis et opere maiestatis diuine* » f. 125.

Folia 128-148 chartacea, manu saec. XVI:

« Annotationes (sic) in Valerium Maximum adiectae a doctissimo magistro MICHAELE MACK. Anno MDXXXV. Men: Octob: ».

*864. Codex redditus a. 1816 bibliothecae universitatis Heidelbergensis; v. Wilkenium p. 295.

865. Membr. in 4, saec. IX vel X, fol. 108.

Tabula codicis, manu saec. XIII, in qua ultimo loco ponitur: « Vita Martini versifice » (verba haec postea obliterata), quod opus desideratur, f. 1.

« Liber vitae patrum opere FLORENTI GREGORII TURONICI »; praeit tabula capitum, f. 1 v.

(Eiusd.) « liber in gloria confessorum », praemissa capp. tabula, f. 65.

866. Membr. in 12, saec. XIII, fol. 128.

(HUBERTI DE ROMANIS) vitae s. Dominici et priorum patrum ordinis fr. praedicatorum; opus in quinque partes divisum, quibus singulis praeposita est tabula capitulorum; initio carent; desunt item folia in fine primae partis (inter f. 11 et 12), f. 12. — Accedit, f. 88, chronicon eiusdem ordinis ab anno 1203 ad a. 1253 (sic); inc. « *Anno dni. M°. CC°. IIII° (sic). fr.* » etc.

Vita s. Gratiosae Mariae; inc. « *Refert* (?) *et scribit magister Iacobus de Vitriaco . quod fuit in episcopatu leodiensi . uilla quae dicitur Riuella . iuuenclam . uita et nomine gratiosa . maria .* » f. 92 v.

Miracula et exempla moralia praesertim de « cruce signatis »; inc. « *Cum crux transmarina predicaretur accidit quod quidam per quandam siluam transiret* » f. 100.

« Petri Damiani cardinalis relationes » (miraculorum), i. e. compendium capp. X et XI Institutionis monialis Petri Damiani, f. 102. — Inserta est, f. 102 *a* chartaceo, brevis adnotatio de hoc argumento manu Al. Ferruccii.

« De amico Amelio »; inc. « *Temporibus Pipini regis francorum orti sunt parui duo modo miro* » etc. f. 103.

« Vita et conuersatio Antigoni et sancte matrone Eufrasie eius uxoris atque Eufrasie filie eorum »; inc. « *In diebus Theodosii piissimi imperatoris . fuit quidam uir senator* » f. 104 v.

« Vita beati Onufrii anachorite »; inc. « *Paphnucius humilis seruus uestre sanctitatis omnibus dei famulis* » etc. f. 115.

(S. HIERONYMI) « Vita beati Malchi captiui monachi », f. 122.

« Vita beate Eufrosine virginis »; inc. « *Fuit uir in alexandria nomine paphnucius* », fine carens, f. 125.

867. Membr. in 4, saec. XV, fol. *a* 76.

Ex Gregorio Nazianzeno de septem mundi spectaculis, latine et graece; inc. « *Primum quidem mundi spectaculum* » f. *a*.

« Solinus de asia de templo Diane ephesie », excerptum, f. *a*.

De Zeuxi et Phidia, excerpta; inc. « *Zeusis autem cum Helenam pinxisset* » etc. f. *a*.

« EUSEBII (et) HIERONIMI cronica cum superadditis PROSPERI » et praefatione Hieronymi f. 1; Prosper inc. f. 71 v.

« Ex Vitruuio de architectura libro 2° », excerptum de Mausoli regis domo, f. 76.

868. Membr. in 8, saec. XV, fol. 56; picturis illustratus.

« IANNOZII MANETTI de vita ac moribus Nicolai Quinti summi pontificis » libri tres, cum praefatione « ad . A. Cardinalem Hilerdensem et ad Ioannem Cosme filium ».

869. Membr. miscellaneus in 4, saec. IX, X, et XI vel XII, fol. 69.

Folia 1-30 manu saec. IX:

« REMIGII et aliorum epistole » (tit. manu saec. XII) hoc ordine (et sic in omnibus):

« Capitulatio », i. e. tabula epistolarum, f. 1 v.

